



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

[Centvria I.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

# SYNOPSIS

## Centuriæ I. Selectorum Casuum Conscientiæ.

1. **ÆGIDIUS** ita se inebriat, vt phantasia non-nihil turbetur, vomitus sequatur, &c. quia tamen inter bonum & malum discernere adhuc potest, non peccat mortaliter.
2. **AGRICOLA** famulus ex leui culpa vitrum pretiosum frangens non tenetur Domino refarcire damnum.
3. **AMMONIVS** habens prauam consuetudinem falsò iurandi, si hanc retractauit, & nihilominus inaduertenter iuret, non peccat.
4. **ANASTASIA** non peccat optando sibi mortem, dum à marito suo tam malè tractatur.
5. **ANTHUSA** ex bonis mariti defuncti potest absque iniuria creditorum sublegere sibi necessaria ad competentem sustentationem, & iurare dein, aliquid se subtraxisse.
6. **ATTILIVS** Princeps legem statuit, cui quidem ante promulgationem subditi contravenire possunt, non autem post hanc.
7. **AVITVS** non peccat mortaliter, excedendo in cibo, potu, vsu matrimonij, appetitu honoris, &c.
8. **BALDVS** vir catholicus legere potest calendaria prognostica, & alia hæreticorum scripta, modò sac. Fidem, & Papam non concernant.
9. **BENNO** pœnitentiam in confessione iniunctâ alio loco, tempore & situ peragens nō peccat.
10. **CHARITON** solutionem siue ex contractu siue ex delicto iustè differens non tenetur Creditori ad damnum interea eueniens, aut lucrum cessans.
11. **CARPVS** conceptam conscientiam peccati mortalis leuiter abiciens peccat mortaliter.

12. Cos-

281042



12. COSMAS Medicus medicinam incertam in defectu aliarum rectè adhibet infirmo, si vel ex leui fundamento hanc profuturam putet.

13. COSMOPHILVS malè nec sine peccato mortali cælo se carere velle ait, modò terrâ frui æternùm possit.

14. CVNIBERTVM notoriè excommunicatum in vna diœcesi, in alia, vbi excommunicatio illa non innotuit, nemo tenetur publicè vel priuatim vitare.

15. CVNO catholicus rectè in locis hæreticis comedit carnes, adit templa, abscondit rosarium, &c. ne agnoscat & periclitetur,

16. ELIAS in loco alieno existens non obseruat ieiunium particulare tam huius, quàm proprii loci, idque probabiliter absque peccato.

17. EMERENTIANA intra primum bimestre post nuptias bene negat debitum viro suo, etiamsi nihil de Religione cogitasset.

18. EPIPHANIUS Episcopus ex duobus competitoribus absque iniustitia digniori præfert dignum ad beneficium curatum.

19. EQVITIVS satis explicat se in confessione, dicendo, lethale vulnus se inflixisse Dasio, etiamsi non addat, quòd iste deinde ex dicto vulnere fuerit mortuus.

20. EVLOGIVS die festo laborans, idque in communi tantùm apprehendens, esse peccaminosum, nõ peccat idcirco mortaliter.

21. EVAGRIVS Clericus, recitans Horas Canonicas absque vlla deuotione & interna attentione probabiliter non peccat mortaliter.

22. EUPHROSINA nobilis puella in Patria nouum morem inducens, & magnam pectoris & mamillarum partem nudata incedens peccat mortaliter.

23. EVTICHIVS non est reprehensibilis, dum exercet opera pia propter mercedem; absque hac non facturus illa; modò habitualiter patatus sit, absque tali spe seruare præcepta.



*Synopsis Centuria 1.*

24. FABIVS dispensatione ad initium Quadragesimæ propter morbum impetratâ vitur per reliquum quadragesimæ tempus, etsi cessauerit causa impetrationis.

25. FELIX Sacerdos intrâ annum diu recitat officium de Resurrectione Christi, malè ex vnius Authoris assertione putans, non esse mortale.

26. FERDINANDVS è Societate IESV Sacerdos in naufragio potuit quidem apprehensam tabulam mulieri prægnanti concedere, non tamen debuit id facere.

27. FIRMATVS Parochus pro Missis, ad quas vi beneficii dicendas tenetur, potest aliud stipendium accipere.

28. FELICITAS sponsa non potest resilire ex eo, quod sponsum suum videat frequenter cum alia, hanc osculari, &c.

29. FLORA in partu rectè fuit à Parocho inuncta, si dolores ægritudinem periculosam causauerint.

30. FRONTONI militi mulier ex metu intentatæ mortis malè in flagitium consensit.

31. FROBENIVS iteratò peccans, quia eadem operâ confiteri potest, non committit peccatum præsumptionis, vel aliam circumstantiam peculiariter in confessione aperiendam.

32. FVRIVS plura committens furta parua pro varietate casûs variè peccat.

33. GILDRADVS confessarius aiens de pœnitente, quod sit scrupulosus, non violat sigillum, si hoc ex modo tantum confitendi advertit: secus si scrupulositas fuit materia confessionis saltem in obliquo.

34. GOLO plures prauas actiones exercens ante & post rem cum amasia habitam satisfacit in confessione dicendo, se fornicatum fuisse.

35. GOAR videns luttam, quæ recens communicauerat, S. Hostiam ex ore in strophium emittere, ad eam, vt suspicatur, inhonorandam, non potest illam publicè corripere, sed occultè, prout potest, rei mœderi debet.

36. GYR-



36. **CVRIAS** scit, in capitulo, cui assidet, iniquā fieri electionem, & tacet; vnde sufficienter quidem consentit in ordine ad peccatum & pœnam, non tamen ad valorem electionis.

37. **HERIBERTO** Episcopo beneficium Ecclesiæ dirutæ aliò transferenti immeritò reclamatione Maurus Abbas, qui Ecclesiæ illius fuit Patronus Ecclesiasticus.

38. **HESYCHIVS** in multis hærens tenetur dubia, vt dubia confiteri.

39. **HILARIVS** absque grauiori culpa recitat breuiarium post sacrum; & extra consueta tempora, etiamsi ex nulla hoc faciat causa.

40. **HOMOBONVS** actus quosdam confitendo, quos præcisè vt commodos naturæ exercuit, non affert sufficientem materiam.

41. **IOACHIMVS** Patrem spiritualem & naturalem in pari necessitate constitutos videns tenetur cæteris paribus naturalem præponere.

42. **IOANNICIVS** vouens non ducere vxorem ad hoc deinde votum relaxandum non indiget dispensatione Papæ.

43. **IORDANVS** Beneficiarius etiamsi breuiarium omittat vno die, quia tamen supplet altero, excusatur à restitutione fructuum illius diei.

44. **IRENAEVS** crebrò blasphemando non peccat grauius, si affectus iræ non in **DEVM** tendat, nec ipse aduertat ad vilipensionem **DEI** & rerum, sacrarum.

45. **IovITA** pro mille florenis post annum soluendis numerans iam nongentos creditori, non committit solutionē vsurariā, etiamsi hæc difficilis nō sit.

46. **LEA** mater rupturam filioli sui medijs ad talem affectum prorsus insufficientibus illicitè curat.

47. **LIoBA** dum inter horrendas blasphemiarum tentationes videtur sibi ex vna parte ijs consentire, ex altera verò repugnare eisdem, iudicanda est in hoc casu non peccare.

48. **MAGISTRATVS STAGVYENSIS** prohibet subditis suis

nz  
um  
pe-  
tat  
ius  
in  
am  
ouit  
be-  
um  
co,  
alia,  
ncta,  
t.  
tata  
ope-  
præ-  
riter  
o va-  
ente,  
oc ex  
alosi-  
te &  
essio-  
nuni-  
ittere,  
potest  
otest,  
Gyr-





suis sub multa pecuniaria, ne ex cellis Ecclesiasticorum privilegiatis vinū emant, quod mandatum, etsi subditi violent, non tamen peccant.

49. MALACHIAS Religiosus ex Ordine quodam Mendicantiū aegrotans desiderat celebrari in altari portatili intrā cellam suam, cū exportari difficulter possit, quod concedi ipsi à Superioribus potest.

50. MAVRILIUS chirographum 1000. florenorum à Principe debitore vendit 700. florenis Mauritio eiusdem Principis charo Officiali, qui sic emere id iustè potuit.

51. MARCELLVS torquem aureum à Marcellino (qui bonā eum fide possedit) dono accepit, de quo iam dubitans, an sit alienus, potest præscriptionem incipere.

52. MEGENGOR comes in venando egreditur limitibus suis, idque sine omni culpa in locis nullā sepe clausis.

53. MELETIVS Parochus, etsi varijs modis ad mortē rei concurrat, nullam tamen irregularitatem contrahit, quia neque ut publicus minister, neq, ut priuatus iniustè concurrat.

54. MVSCVLVS in Italia infamis fugit in Poloniam, vbi pro honesto habitus proditur à superueniente ex Italia Fusculo, & hoc fit probabiliter absque peccato.

55. MVRIO latroni ex Confessario seiscitanti, num captus fortè Iudici legitimè interroganti fateri omniadebeat, responderi potest, nō teneri, si adhuc spes est effugij.

56. NARCISSVS puerulus in morbo lethali rectè confirmatur ab Episcopo.

57. NEMESIVS post prima sponsalia contrahit secunda cum alia, additque his iuramentum & copulam, quæ tamen prioribus non prævalent.

58. NICETAS studiosus munusculis & promissis trahitur ad monasterium, idque sine simonia.

59. NYMPHODORA vouens Deo virginitatem, hâc perditâ, non tenetur ad perpetuâ castitatem.



60. OLAVS A catholicis fidem Catholicam magis probabilem censet, quàm suam sectam, hanc tamen idcirco nondum deserere tenetur.

61. OPILIVS deprehenditur in confessione nescire Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis, qui quidem ob ignorantiam invincibilem non peccat mortaliter, instruendus tamen est à Confessario de Mysterijs Symboli Apost. præcipuis pro ipsius captu.

62. ORBILIVS opifex catholicus in quadragesima famulis apponit carnes, ne discedant, idque probabiliter absque peccato.

63. ORENTIVS haud illicitè in confessione aperit complicem.

64. PAMPHILVS vorando & potando absque peccato mortali procurat vomitum, ut iterum comedere & bibere possit.

65. PARMENAS dispensatus in carne tempore quadragesimæ bis eas comedere in die potest.

66. PARTHENIVS cùm clarè videat, matrimonium sibi melius esse, quàm abstinentiam ab isto, hinc probabiliter editum ab ipso castitatis votum est invalidum.

67. PATRICIVS iaculaturus avem supra culmen villæ, aberrando ab illa, incendit istam, teneturque ad restitutionem pro ratione culpæ intervenientis.

68. PHILARETVS marsupium invenit nummis benefartum, quod requisito & non reperto Domino rectè sibi retinet.

69. PERGENTIVS picturam, cuius nescit pretium, duobus florensis dat proxenetæ vendendam, qui eam 40. florensis vendidit, & malè ex illis duos tantum florenos dedit Pergentino.

70. PLACIDVS congressus cum vxore sua, quam credidit alienam, non commisit quidem adulterium realiter, sed tamen obiectivè, atq; vnum duntaxat peccatum.

71. PRIMVS Mercator non admonetur restitutionis faciendæ à Confessario, non tamen idcirco iste ad illam obligatur.



72. PROBVS Indulgentias pro Viuis concessas male applicat Defunctis.

73. PROTOGENES Sacerdos rectè de sacra sua hostia sumit particulam, eaque communicat Laicum, si rationabilem huius faciendi causam habeat.

74. QVADRAVS in collatione vespertina diebus ieiunij potest comedere ex ossa, pisciculis, acetarijs, &c. non tamen ultra quartam partem eorum, quæ in prandio sumere consuevit.

75. REY MVNDVS iurans se artem curandi cancrum nulli se communicare velle non tenetur iuramento stare.

76. RVARBVS Parochus vapulat, cuius facinoris reus putatur, & excommunicatur Proclus, qui tamen, cum innocens sit, reipsa excommunicatus non est.

77. RVFFINA cum filia & ancilla laborat die festo otij vitandi gratia, ideoque sine peccato mortali.

78. RVPERTVS Episcopus superstitionem sub excommunicatione prohibet, quæ tamen committitur à Melchiore per ignorantiam, ratione cuius variè excusatur.

79. SABINVS Iudex causam quæ inter partes æqualis est iuris, non potest, cui lubet, adiudicare, sed diuidere eam debet.

80. SABINIANVS Episcopus in statu peccati mortalis consecrans Ecclesias & calices: & adhuc Sacerdos, Diaconus, ac Subdiaconus in simili statu in Officio diuino ministrans ac concionans non peccauit mortaliter.

81. SEBALDVS, licet vir semper visus sit bonus, quia tamen moribundus nullum dedit confessionis faciendæ signum, ideo absolui non potest.

82. SENATVS CVRENLENSIS exigit aliquid pecuniæ à presentandis ad beneficia Ecclesiastica, idque probabiliter absque simonia.

83. SEVERA ancilla ab hero suo accipit munera, qui-  
lus sollicitatur ad facinus turpe, in quod licet illa



*Synopsis Centuria I.*

non consentiat, accepta tamen dona reddere non tenetur.

84. SEVERIANVS Parochus moribundum absoluit, alijsq; Sacramentis munit; & licet hæc fecerit in peccato mortali existens, nō tamen peccauit propter angustias temporis, quæ vrserunt.

85. SIBYLLINA ex adulterio concipit Venereum, & marito supponit, quod tandem aperit spurio filio, qui tamen credere ipsi non tenetur.

86. SOSTHENES Sacerdos accipit stipendia pro Missis de B. Virgine, pro animabus defunctis, &c. etsi deinde non malè legat Sacra pro tempore occurrentia.

87. SOTER furtiuum equum bonâ fide emit florenis 50; & mox in alio loco eundem vendidit 70. florenis alicui extero; interea etsi verus equi dominus compareat, ei tamen nihil debet Soter.

88. SVLPITIUS mercator dolet apud vicinum mercatorē plures reperiri emptores, idque sine grauiore culpa.

89. TOBIAS, pecuniam, quam in extrema necessitate dederat Gabelo, ab eodem postea ad meliorem fortunam euecto repetere potest, si Gabelus tunc saltem spem obuenturi alicuius boni habuit.

90. TORPES absque peccato non orat ad pulsum orationis Angelicæ, & similia.

91. TROPHIMVS filiolum suum agonizantem, cum alio modo baptizari saluarique non possit, in flumen abijciendo, simulque formam pronuncians non malè facit: estque baptismus iste validus & probabiliter licitus.

92. TVSCANA ex bonis communibus etiam contra viri voluntatē licitè facit elemosynas, modò istæ vigesimam partē annuorum reddituū non excedant.

93. TYCHIVS non peccat grauius omittendo ea, quæ in ordinatione ab Episcopo sunt iniuncta.

94. VALENTINVS Parochus puerum cum scheda suscepti baptismi inuentum bene licitèq; rebaptizat.



95. VARVS nolens domum suam vendere, quæ Monasterio contigua & perquam commoda foret Religiosis, potest à Magistratu cogi.

96. VBALDVS die festo simul audit duorum Sacerdotum duas partes Missæ, & satisfacit.

97. VENEREVS diu ignoranter exercuit mollitiè, ideòque nullum commisit peccatum.

98. VRSITIVS negat sub iuramento, se fuisse domum aliquam ingressum, in qua tamen reuera fuit, rectè æquiuocatione vsus.

99. ZELPHA licitè denunciat Balam conseruam suam herò in flagitio deprehensam.

100. ZOA, licet innocens, vi tamen tormentorum ream se immanis sceleris fatetur; quæ inde nec peccat, nec reuocare tenetur.



CEN-



## CENTVRIA I.

SELECTORVM  
CASVVM CONSCIENTIÆ.

## CASVS I.



*Ægidius ab amico inuitatur ad mensam, vbi vinum liberalius haustum ipsi visum obsuscatur, linguam vincit, pedes infirmat, caput gyrat, memoriã sepelit, mentem in iocos aliaque insolita soluit, & omnia ita perturbat, vt tantum aduertentia aliqua inter bonum & malum, turpe & honestum permaneat. Quaritur. Verum peccauerit mortaliter?*

Videtur sic peccasse, quia talis passim ab omnibus ebrius habetur; ebrietatem autem ex suo genere esse peccatum mortale, communis est Theologorum sententia.

Resp. *Ægidium non commisisse peccatũ mortale ebrietatis. Ita Caiet. Syluest. Valent. Less. Laym. L. 3. s. 4. n. 5. Dicastillo de Iust. L. 1. D. 3. n. 142. Palao de Iust. Tr. 1. D. 3. p. 5. n. 3. & alij. Ratio est, quia ebrietas, quæ sit peccatum mortale, ex communi Theologorum est violenta rationis interceptio per nimium potum voluptatis causã haustum. Atqui si adhuc*



adhuc adest aduertentia rationis inter bonum & malum, inter turpe & honestum, non est perfecta interceptio rationis; esto oculis duplicata omnia appareant, lingua titubet, pedes vacillent, caput in gyrum agatur, vomitus sequatur, phantasia sit non nihil turbata, memoria labatur. Ergo, &c.

Ad rationem in oppositum dicimus, Ægidium prudenti iudicio non posse censei Theologicè ebrium ob causam dictam, licet imperfectam aliquam ebrietatis rationem participet, & vulgò denominationem ebrij habeat, idèdque peccatum veniale ex gravioribus committat.

II. *Agricola mercede conducit Vitalem famulum, ei que curam rei domesticæ commendat, in qua ex levi eiusdem culpa, seu diligentia omissione damnum contingit fractione pretiosi vitri, cuius damni reparationem Agricola à Vitale exigit. Queritur. Vtrum Vitalis reparare damnum illud ex fracto vitro teneatur?*

Videtur teneri. Ita Salonius, Arragon, & alij, quos citat & sequitur Bonac. D. 3. de Contract. q. 1. pun 6. n. 14. quia inter dominum & servum mercede conductum intercedit contractus in vtriusque vtilitatem; in tali autem contractu dari obligationem iuxta leges civiles ad reparationem damni ex culpâ etiam levi iuridicâ, docent Molin, de Iust. Disp. 295. & communit. alij DD.

Resp.



Resp. Vitalem non obligari ad reparatio-  
nem damni. Ita Card. Lugo *de Iust. D. 8. n.*  
*92. Less. c. 7. de Iust. n. 32. & alij.* Ratio est,  
quia eadem planè est ratio cum his famulis,  
quæ est cum Iudice, Advocato, Medico, at-  
que alijs Officialibus, vt testantur *cit. AA.* At-  
qui isti non tenentur ex culpâ levi, vt habet  
communis Theolog. & docet Clarus *L. 5.*  
*pract. criminalis. §. fin. q. 73. n. 3.* vbi alios *AA.*  
affert. Ergo nec famuli obligantur. Differen-  
tia inter Officiales (quo nomine famulos  
venire recéns diximus) & conductores sumi-  
tur ex citatis legibus ciuilibus, quæ de officio  
& famulatu non idem asserunt, quod de  
contractu, vtut aliàs spectando ius naturæ ea-  
dem videatur vtriusque ratio, vt rectè aduer-  
tunt Lugo *loc. cit. & alij.*

Atque ex his patet ad rationem in contra-  
rium; nam vniversim negamus, ex quouis  
contractu in vtilitatem vtriusque surgere ob-  
ligationem damni reparandi ob culpâ etiam  
leuem iuridicam; cum *LL.* ciuiles aliter circa  
contractus officialium, adeòque & famulorû  
disponant, etsi in vtriusque vtilitatem etiam  
cedant.

III. *Ammonius habens prauã consuetudinẽ falsò*  
*iurandi, sæpe quidẽ sic iurat, sed prorsus inadver-*  
*tenter, & ex subito animi motu atq; ira impetu.*  
*Queritur. An committat peccatum in se mortale?*

Videtur tale committere. Ita Caietan.  
Navarr.



Navarr. in *sum. cap. 12. n. 6.* & alij. Quia inadvertentia illa non excusat Ammonium, cum etiam advertens similiter peieraret.

Resp. I. Si Ammonius vel non habuit pravam consuetudinem falsum iurandi, vel hanc per dolorem retractavit, iuramentum falsum inadvertenter prolatum non fore peccaminosum. Ita ex comuni Suarez *Tom. 2. de Rel. L. 3. c. 7. n. 5.* cum illud nullo modo sit voluntarium. II. Si vero habeat pravam consuetudinem falso iurandi, & hanc non retractarit, iuramentum factum etiam inadvertenter, & ex subito iræ impetu prolatum, esse peccatum mortale, non quidem in se, sed in voluntate, quam habet, non remouendi consuetudinem, Ita Sanch. *L. 3. in Decalog. c. 5. d. n. 28.* Palao *Tr. 14. D. 1. pun. 9. n. 5.* & alij. Ratio est, quia iuramentum illud, nec directè & in se est voluntarium, ut patet: nec indirectè, hoc ipso quod non fuerit potestas illud vitandi. Ergo solum in causâ non amotâ, prava scilicet consuetudine. Hanc consuetudinem si Ammonius sæpius admonitus emendare non laboret, non posse ipsum absolvi, cum plurib. Theolog. putat Suarez *loc. cit. c. 8. in fin.* Sed mitius & rectius sentit Sanchez *L. 2. in Decal. c. 32. n. 45.* loquens de blasphemiâ, quia ob peccata, quæ non pendent ex occasione extrinsecâ, sed intrinsecâ peccatoris fragilitate, non est absolutio vel neganda, vel



*Selectorum Casuum Conscientie.*

15

vel differenda, cum dolendo de peccatis satis pœnitens se disponat.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

IV. *Anastasia durissimè tractatur à viro suo, quæ idcirco sepe sibi mortem imprecatur. Quæritur. An peccet?*

Videtur mortaliter peccare. Ita Navarr. in manual. c. 15. n. 15. Tum quia non est Domina vitæ suæ. Tum quia est contra Charitatem sibi debitam.

Resp. Anastasiam non peccare. Ita Sancius in select. D. 2. n. 9. & alij. Quia potest afflictionem hanc prudenter censere maius malum, quàm ipsam mortem. Imò alios quosuis ex indignatione & impatientiâ mortem sibi deliberatè imprecantes non peccare mortaliter, existimamus contra Dian. P. 5. Tr. 14. R. 92. & probamus tum exemplo Eliæ 3. Reg. 19. Ionæ cap. 4. &c. tum quia sensus verborum illorum alius non est, quàm *malum mori, quàm tales molestias pati.*

Ex quo patet, nec dominium Dei in vitam nostram, nec charitatem nobismetipsis debitam violari. Cæterùm ex communi Theolog. apud Bonac. in Præcep. IV. Decal. D. 5. Q. vnic. p. 6. num. 1. peccat graviter Maritus Anastasiæ tam duriter hanc verbis & verberibus tractando, cum vxor non vt serua vilipendenda, sed vt socia sit amanda & honoranda  
(sunt



(sunt quippe duo in carne vna Matth. 19.) ac delinquens etiam moderatè corrigenda, cum acris & digna delicto pœna non ad maritum, sed Iudicè pertineat. Vnde Palao de sponsalib. D. 3. pun. 4. §. 3. verberum Punctionem (nisi grauissima virgeat causa) mortalem censet, & non immeritò, quia ex se vtpote servilis maximè vxorem dedecet; & in aliquorum sententia sufficientem dat divortij causam.

V. *Anthusa vxor advertens virum suum plura contrahere debita, quàm sit solvendo, post mortem huius inopinatam citò tantum bonorum subtrahit, quantum & sibi & liberis ad competentem sustentationem necessarium arbitratur. Vnde suspecta creditoribus coram Iudice iurat, nihil de bonis viri se sublegisse, subintelligendo non necessarium ad honestæ vitæ sustentationem. Quæritur. An facere hoc licitè potuerit?*

Videtur non potuisse. Tum quia est infraudem, & contra Ius creditorum in bona relicta à marito. Tum quia sequeretur, debitores non teneri solvere debita cum aliqua imminutione honestæ sustentationis, quod videtur contra communem. DD.

*Resp.* Licitè fecisse Anthusam. Ita Cœlestin. in compend. mor. Theolog. Tr. 9. cap. 19. in fine relatus apud Dian. P. 5. Tr. 14. R. 57. Ratio est, tum quia creditores rationabiliter non possunt esse inuiti. Tum quia rem alienam iniuste non retinet, & sicut subtrahendo necessaria



ecessaria ad sustentationem ( etsi iniuste à viro  
essent acquisita ) non peccat, ita neque peccat  
iurando. Tum quia licitum est cuilibet in  
gravi sua, vel suorum necessitate, aliquid  
clanculum surripere, quando aliter ea averti  
non potest, vt docent P. Navarr. L. 3. cap. 1. n.  
357. Less. Lugo, alij. Ergò multò magis lici-  
tum erit Anthoni, aliquid non restituere, cum  
substractio illa non tam sit ablatio rei, quàm  
denegatio restitutionis.

Ad primum in contrarium negamus, id es-  
se in fraudem & contra jus creditorum, hoc  
ipso, quod iuste ac rationabiliter fiat. Ad se-  
cundum itidem negamus sequelam, cum hic  
non agatur de aliqua solùm imminutione,  
sed omnimoda amissione honestæ sustenta-  
tionis, & ex communi doctrina plus liceat  
ad cavendam istam, quàm illam.

VI. Atilius Princeps ob copiam vini in sua  
ditione crescentis legem statuit, ne quis vinum ex  
alia Prouinciâ inferret. Cneus huius gnarus an-  
tequam lex illa promulgaretur, aliquot vini plau-  
stra aliunde advexit. Subditi verò eandem legem  
postea promulgatam absque iustâ causa non accep-  
tarunt. Queritur. Virum tam isti, quàm ille  
contra legem egerint?

Videtur, Cneum fecisse contra legem;  
quia sciuit, eam iam esse statutam: non au-  
tem eandem violasse subditos; quia iuxta  
communem sententiam Canonist. in c. 1 de

B

Treuca



*Treuga & pace, lex non obligat, nisi acceptetur.*

Resp. Cneum non violâsse legem: Subditos verò eandem fuisse transgressos. Ratio prioris est, quia de ratione legis *vi proximè obligantis* est promulgatio, vt habet communis DD. apud P. Tannerum *Tom. 1. D. 5. Q. 1. d. 1.* liquidem absque istâ regulare ac dirigere (quod legis est) subditos nequeat. Cùm ergo ante promulgationem lex verè & perfectè non subsistat, nec violari potest. Vnde patet ad argumentum in oppositum. Ratio posterioris est, quia acceptatio populi, per se loquendo, ac seclusis particularibus pactis & privilegijs, non requiritur ad valorem legis, vt docent Laym. *de LL. c. 3. n. 1.* Arriag. *D. 17. n. 1.* Palao *D. 1. p. 13.* & plures alij. cùm Princeps absque eâ & potestatem & voluntatem habeat obligandi subditos; nec sanè expediret Reipubl. vt leges iustæ & vtilis pro libitu recusari à subditis possent. *Sententia Canonist. in contrarium allata* intelligenda est solùm casu, quo lex valde gravis & difficilis esset; tunc enim prudenter præsumitur, legem eiusmodi non esse latam à Principe *ex absoluta voluntate* obligandi, sed solùm experiendum populus ad eius receptionem induci possit, vt post Suarez & Salas, rectè Palao *loc. cit. n. 4.* Secus autem se res habet in proposito, vbi lex nec difficilis, nec inutilis fessit.



tur. Atque sic patet ad rationes in oppositum.

VII. *Auitus vir nobilis aduertit, fateturque excessum suum in cibo, potu, vestibus, vsu matrimonij, appetitu pecuniae, honoris, laudis, excellentiae, &c. Queritur. Vtrum peccet mortaliter?*

Videtur peccare mortaliter. Tum quia SS. Scriptura & Patres hunc excessum grauius reprehendunt, vt videre est apud Authores passim. Tum quia grauem committit inordinationem.

Resp. Auitum in his (per se loquendo, secluso damno, & aliâ malitiâ extrinsecâ) non peccare mortaliter. Ita ex communiore Less. L. 4. de Temper. c. 4. n. 110. Ratio est, quia, vniuersim loquendo, quando aliquid per se malum non est, sed indifferens, tum excessus in eius appetitione & vsu est tantum venialis, cum in tali re mediocritatem attingere sit difficile, & nullum graue detrimentum inferatur Deo, vel proximo. Atqui praedicta, in quibus delinquit Auitus, per se mala non sunt, sed indifferentia. Ergo excessus in illorum appetitione & vsu, per se loquendo, est tantum venialis.

S. Scripturae & PP. grauius reprehendunt excessum illum non per se, sed ratione alicuius prauitatis per accidens annexae, quo modo etiam inordinatio grauis censeri potest, qualis tamen per se non habetur.



VIII. Baldus Principi cuidam in Germaniâ à consilijs, & vir bonus delectatur lectione Calendariorum prognosticorum, nouorum ab Hæreticis impressorum & similium, quæ varios hominum ac rerum status concernunt, & subinde amarè perstringunt; sed Religione tactus intelligere vult ex Confessario, an licitè legere talia possit? Queritur. Quid Confessarius respondeat?

Videtur nō posse. Quia in Indice libr. prohib. reg. 2. vniversim Hæreticorū libri, etiam si de Religione non tractent, nō permittuntur, nisi Catholicâ censurâ sint legitimè approbati.

Resp. Baldum, secluso propriæ animæ, aliorumque salutis periculo, licitè ea Calendaria, nova, ac Pasquillos legere posse, modò Sacra Fidei Catholicæ, & Summum Pontificem non concernant. Ita P. Tanner Tom. 4. D. 6. q. 10. n. 101. Ratio est. Tum quia prædicta nomine librorum non comprehenduntur, sicut neq; sub censura Bullæ Cœnæ brevis scriptura, oratio, concio, quæstio, epistola, annotatio &c. comprehenduntur, vt docent Sanchez L. 2. in Decal. c. 10. n. 29. Bonac. D. 2. de Cens. q. 5. pun. 4. n. 18. Palao Tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5. & alij. Tum quia lectionem talem communis vsus ac consuetudo in Germaniâ tanquam licitam permittit; vnde passim viri etiam timorati & Ecclesiastici absque scrupulo talia legunt.

Ex quo patet ad rationem in contrarium regula



regula enim illa in Germaniâ ob difficultatem, quam continet, contrario usu elanguit, si etiam fuit unquam recepta, & vim habuit.

IX. Benno Civis Monacensis sub festa Pentecostes Oettingam Vet. Religionis causa profectus Confessionem ibi peccatorum suorum peregit. Confessarius illi pro satisfactione praecepit, ut in S. Aedícula coram Imagine miraculosa B. V. recitaret unum rosarium flexis genibus. Verùm is nihil horum fecit, atque etiam domum reversus distulit eius poenitentia executionem usque ad festum Portiuncula, quo die denuò confessurus recitavit manè rosarium in Sacello domestico asidens in sella. *Quæritur. Quomodo peccarit tam differendo, quam alio loco & situ, ac imperatum erat, poenitentiam iniunctam exequendo?*

Videtur mortaliter peccasse, ut innuunt AA. passim; quia in re graui, & ad reconciliationem cum Deo ordinata intentionem Confessarij absque vllâ causâ distulit simul, & aliquatenus intermisit.

*Resp.* Bennonem non peccasse, saltem graviter. Nam non peccavit differendo tam diu poenitentiam; quia nullus obligatur confessionis præcepto statim ac peccat, sed potest differre confessionem per annum, Ergo simul poterit non tantùm per duos vel tres menses, sed per integrum annum poenitentiam à Confessario impositam differre, Ut cum Fernandez, Martin. de S. Iosepho, Escobar, & alijs



docet Dian. P. 10. Tr. 12. R. 42. Non etiam peccavit alio modo, quàm fuerat impositum, pœnitentiam implendo; quia modus talis censetur circumstantia levis, ut post Sanchez, Lugo, & alios docet Dicastillo de Pœnit. D. 14. n. 81. quippe in hoc vel illo loco, aut situ dicere rosarium, æquale, aut ferè æquale est Beatissimæ Virginis obsequium, modò res ritè peragatur. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

X. Chariton legitimè excusatur à debiti solutione; interea autem temporis ob omissam solutionem creditori damnum evenit, & lucrum cessat. *Quæritur. Utrum postea Chariton debitumolvere potens, etiam damnum obueniens & lucrum cessans resarcire teneatur, uti petit creditor?*

Videtur teneri. Ita Molin. D. 754. n. 3. Laym. Tr. 2. de Iust. c. 12. n. 2. & alij. Tum quia aliter creditor non præsumitur dilationi consentire. Tum quia differens solutionem in suum commodum tacito contractu se obligat, iacturam creditoris resarcire,

Resp. Non teneri, siue Chariton debitor sit ex contractu, siue ex delicto. Ita P. Navarr. L. 4. de restit. c. 4. n. 46. & ferè Less. de Iust. c. 16. n. 33. Ratio est, tum quia Chariton nec est ob moram solutionis causa iniusta illius damni & lucri cessantis: nec ista proveniunt ex culpabili solutionis omissione, sed proveniunt ex retentione solutionis iustâ, non  
vtique



utique proventura, si restitutio fieret; damna autem ex tali iustâ retentione orta non possunt imputari Charitoni hoc ipso, quod iste non sit causa moralis iniusta, quod necessariò ad talem imputationem requiritur. Consentiunt huic assertioni quoad priorem partem de debitore *ex contractu* Rebellus, Salas, Bonacina, & alij, quos affert & sequitur Card. de Lugo *de Iust. D. 18. n. 35*; dissentiunt autem ab eadem quoad alteram partem de debitore *ex delicto*; sed immeritò, quia iusta causa radicitus moram purgat. Ut rectè Navarrus cit. & fere Lessius *c. 16. n. 33. in fine*, ubi ait, debitorem ex delicto non teneri de damno emergente vel lucro cessante pro eo tempore, quo non poterat restituere, nisi coniiciendo se in gravem necessitatem. Unde negamus rationem in contrariù allatam, cum nullo nitatur fundamento.

XI. *Carpus audit in Concione, creditque, esse peccatum mortale, vesci carnibus in pervigilio SS. Philippi & Iacobi, eò, quod sit ieiunium, & tamen ab ijs se non abstinet, conscientiam illam absque aliâ ratione abijciens. Queritur. Vtrum comedendo carnes peccet mortaliter?*

Videtur non peccare mortaliter. Ita Caietan. *in 1. 2. q. 19. art. 5.* quia conscientia errans non habet ex se vim obligandi, nisi quatenus acceptatur. Ergo quandocunque non acceptatur, non obligat.



Resp. Carpum peccare mortaliter. Ita Suar. Vasq. Palao Tr. 1. D. 1. p. 6. n. 5. Bress. L. 5. c. 23. *insine*. & alij communiter. Quia nemo potest se pro libitu eximere legibus. Atqui conscientia illa, cum *ut vera* appareat, habet se instar legis, & est proxima regula voluntatis operandi, ut cum S. Thomâ *loc. cit.* docent communiter Theol. Ergo Carpus pro libitu exuere se illâ non potest, sed eâ obstrictus peccat mortaliter, si eandem violet, ut fit in proposito.

Ad rationem in oppositum dicimus, errantem conscientiam duplicem esse, vnam, quæ ita dicet aliquid esse peccatum, ut nullo modo etiam probabiliter credatur, esse licitum id, quod revera est licitum *secundum se*: alteram, quæ ita dicet aliquid esse peccatum, ut tamen verosimile, vel ex autoritate, vel ex ratione appareat oppositum. Hæc *posterior* non habet vim obligandi, nisi acceptetur, & deponi potest absque aliâ ratione; non autem illa *prior*, qualis est Carpi, qui nihil cogitando vel de errore concionatoris, vel de alio motivo rationabili in contrarium, omnino persuasit sibi ieiunandum esse, & à carnibus abstinendum, & tamen id contra conscientiam talem non fecit, vanè hoc sibi licere arbitratus.

XII. Cosmas Medicus ad Lazarum infirmum vocatus nullam agnoscit medicinam, que probabiliter



liter morbum curatura videri possit, deficientibus autem probabilibus advertit adesse quasdam incertas, quæ obesse aequè, ac prodesse queant. Queritur. Vtrum istas in extremo vite discrimine Lazaro adhibere possit?

Affirmat Thom. Sanch. L. 1. mor. c. 9. num. 19. quia periculum accelerandi ægro mortem sufficienter compensatur spe vitam desperatam conseruandi. Negant plures, quos refert & sequitur Palao Tr 1. D. 2. p. 9. n. 5. quia applicans talem medicinam incertam, quantum est ex se, applicat causam efficientem mortis, quod vtique illicitum.

Resp. Posse Cosmam applicare Lazaro desperato medicinam incertam, si vel ex levi fundamento profutura putetur. Ita Arriag. de Actib. hum. D. 24. n. 25. quia sic vim acquirit ratio sententiæ affirmatiuæ, & eandem perdit ratio sententiæ negatiuæ; quippe evadit ex illâ medicinâ minus periculum nocumenti, & maius fundamentum emolumenti.

XIII. *Cosmophilus ita rebus immersus est terrenis, vt desideret perpetuo degere in terrâ, & Deo relinquere velit Cælum, si sibi terram concedat. Queritur. An graviter peccet?*

Videtur non graviter delinquere, cum præceptum nullum appareat, quod grauius violet.

Resp. Cosmophilum hoc concupiscentiæ amore committere peccatum mortale contra

B5

spem



Spem divinam, quam ita tenemur habere erga Deum & Diuina, vt ista præ omnibus concupiscibilibus nobis concupiscamus iuxta illud ad Rom. 15. *Vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus &c.* Vnde etiam peccant coniuges, si desiderare se dicant, vt perpetuò conuiuere sibi detur in terrâ; nisi hoc loquendi modo indicare solùm velint vehementiam amoris coniugalis.

Ad rationem in oppositum patet ex dictis; quippe peccat Cosmophilus contra præceptum Spei diuinæ, quo iubemur non solùm suo tempore sperare cœlestia, sed etiam præ his terrena nunquam nobis desiderare.

XIV. *Cunibertus Salisburgi denunciatur excommunicatus, qui absolutionem negligēs fugit Coloniam, vbi post paucos menses Cuthbertus eius concivis, rei que gnarus in eum incidit. Queritur. Vtrum iste vitare illum Colonia teneatur?*

Videtur teneri. Ita Vasq. *Tr. de excom. dub. 8. n. 2.* Filliuc. *Tr. 13. c. 3. q. 7. n. 49.* Bonac. *D. 2. de cens. q. 2. pun. 6. §. 2. n. 48.* & nonnulli alij. Quia Concilium Constantiense absque restrictione præcipit, vitare excommunicatum denunciatum.

*Resp.* Cuthbertum non teneri Colonie vitare Cunibertum. Ita Sanch. *L. 2. in Decal. c. 11. n. 20.* Avila *p. 2. de Cens. c. 6. D. 11. d. 12.* & alij. Nam excommunicatus publicus in vno loco non est censendus talis in alio, in quem



quem devenire non potest denunciatio; esto enim hæc afficiat personam, intelligendum id tamen respectu illorum, quibus innotescit. At Coloniae denunciatio Cuniberti non est notoria. Ergo nullam obligationem inducit, cum vitandi tam publicè quàm privatim, quidquid contra hoc posterius sentiat. Auila *loc. cit.* quia post Constantiense obligatio vitandi non oritur ex solâ excommunicatione, sed ex illius notoria denuntiatione, ut rectè advertit Palao *Tr. 29. D. 2. pu. 4: n. 9.* Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

XV. *Cuno per loca hæretica transiens, cum sciat Catholicis varia in ijs accidere pericula, ut hæc evitet, comedit carnes diebus prohibitis, adit ipsorum templa, abscondit rosarium aliãque Catholicorum indicia, ut alijs eiusdem secum sectæ planè appareat. Queritur. An rectè id fecerit?*

Videtur malè fecisse, quia comestio, & actiones istæ sunt signa falsæ fidei, ex quibus aliquis conijci solet alienus à Romanâ fide.

*Resp.* Cunoem, per se loquendo, & secluso scandalo, & Religionis contemptu, licitè egisse. Ita Azor, Sanchez, Coninck. Beccan. Laym. *L. 2. Tr. 1. cap. 11. num. 5.* & alij. Ratio est, quia licèt per huiusmodi signa aliquo modo Hæretici à Catholicis dignoscantur; attamen non sunt signa instituta ad falsæ fidei professionem, & protestationem hæresis: neque in tali necessitate obligat Ecclesiã



clesiæ præceptum de non comedenda carne. Vnde Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 7. d. 5. n. 110. Bannez 22. q. 3. art. 2. dub. 2. & alij inferunt, posse aliquem vti pileo Turcico cum tobalia alba, vt securus per Turciam transeat, & c. Ergò Cuno signis illis vtens præsumi nõ potest negare fidem, aut falsam protestari, sed solùm occultare se voluisse, cum non teneretur se manifestare, licitèque aliorum deceptionem ad sui liberationem permittere posset. Atque ex hoc patet ad fundamentum in contrarium.

XVI. *Elias die, quo in proprio ipsius loco peculiare est ieiunium, hospitatur in loco alieno, vbi similiter particulare est ieiunium. Queritur. An teneatur ad ieiunandum?*

Videtur teneri, ne absurdè sit omnino exlex. Ita plerique AA. quos citat & sequitur Diana P. 1. Tr. 9. Resol. 18. & Tr. 10. Resol. 13. in fine; non tamen convenit inter eosdem, cuius loci lege diocesana teneatur.

Resp. Eliam probabiliter neutrius loci lege obligari ad ieiunandum. Ita Io. Sancijs in select. D. 44. n. 31. Ratio est, quia non obligatur ratione legis domesticæ, vt cum pluribus docet Arriag. D. 15. n. 41. eò quod tale præceptum specialiter intra locum se contineat, pro quo fertur: nec ratione legis in alieno loco existentis, vt cum multis docet Laym. L. 1. Tr. 4. c. 12. n. 4. eò quod tale præceptum

non



non obliget, nisi subditos & membra illius communitatis, pro qua fertur.

Nec absurdum putandum, Eliam in hoc casu esse *exlegem*, cum vniversim vagi nullis particularibus locorum legibus ligentur. Sed, inquit, regula Iuris est in 6. *Qui sentit commodum, sentiat & onus*. Ergo si Elias ob absentiam à Patriâ habet commodum, quod non sit obligatus lege ieiunij in illâ, oportet & ipsum habere onus legis ieiunij in altero loco. Dicimus, illam regulam iuris procedere solùm de commodo, cui onus necessariò est annexum, sicuti qui percipit fructus beneficij, prædij &c. debet his annexa onera portare, quia *onus transit cum re*, in præsentia verò nõ est necessariò annexum onus commodo, vt per se constat.

XVII. Emerentiana celebravit nuptias, quibus peractis, cum vir eius debitum conjugale exigeret, negavit illa, aiens, ante bimestre elapsũ matrimonium se non consummaturam, cum Religionis ineunda cogitationem, quam ante nuptias contractas habuit, nondum planè abiecerit. Queritur. I. Vtrum Emerentiana ob cogitationem de Religione ineunda rectè recusavit intra primum bimestre debitum conjugale? II. Vtrum negare potuisset, etiamsi nihil de Religione cogitasset? III. Vtrum hoc Bimestre extendat se ad ipsam professionem, vel ad solum ingressum?

Videtur Emerentianam malè negasse debitum,



tum, quia à puncto coniugij contracti tenentur coniuges debitum sibi reddere; quod maximè verum, si Emerentiana nihil cogitavit de Religione intranda, vt docent Angelus, Coninck, Hurtado, Palao Tr. 28. de sponsalib. D. 3. pun. 2. §. 5. n. 7. Martin. Perez de Matr. Diss. 22. sect. 5. n. 14. & alij. Quia iure Pontificio nullis alijs coniugibus obligatio reddendi debitum invenitur suspensa, nisi ijs, qui de Religione cogitant, qui tamen deinde intra primum illud bimestre profiteri tenentur, vt docent Abbas in Cap. ex publico. de convers. coniugator, Navarr. alij.

Resp. I. Emerentianam rectè fecisse, non reddendo debitum intra primum bimestre sui matrimonij, quo tempore adhuc cogitabat de Religione intranda. Ita omnes DD. Catholici ex Cap. 7. de conversione coniugat. Vt cuius suspenditur obligatio reddèdi debitum, quæ aliàs à puncto contracti Matrimonij vrget. Addunt Sanchez L. 2. de Matr. D. 24. n. & Basilius Pötius L. 9. de Matr. c. 9. n. 8. 12. Iudicè, causà cognità, posse restringere aut prorogare dictū bimestre ipso. iure taxatū. Resp. II. Etiam si Emerentiana nihil cogitasset de Religione ineunda, nihilominus licitè negasse debitum viro suo intra illud bimestre. Ita Sánchez loc. cit. n. 25. Basilius Pontius loc. cit. n. 7.

Præ-



Præpositus in 3. parr. D. Thom. Q. 5. dub. 6. n. 47.  
& plures apud hos. Nam esto modò non ha-  
beat hanc cogitationem, potest tamen habe-  
re, & casu, quo Religionem non ingrediatur,  
maiori postea affectu coniungetur viro suo,  
quia desideria dilata crescunt, & sic opus non  
est, vt prædictum bimestre alibi reperiat  
concessum ijs, qui de Religione non cogitant,  
cùm satis in prædicto *capit. ex publico* contine-  
atur. Resp. III. Bimestre illud extendi ad  
ad solum ingressum in Novitiatum, non au-  
tem ad ipsam Professionem in Religione. Ita  
communis D.D. apud Perez *loc. cit. num. 9.*  
quia sine manifesto textu & ratione receden-  
dum non est à iure Communi concedente an-  
num Novitiatus ante Professionem; nullus  
autem talis textus aut ratio afferri potest.  
Quare vir Emerentianæ, si hæc Religionem  
ingrediatur, expectare debet, donec illa, ab-  
soluta Novitiatu, Professionem emittat, nec  
ante hanc ad alias nuptias transire potest, vt  
ex declaratione Tridentini advertunt San-  
chez, Pontius, alij suprà citati.

Atque ex his patet ad argumenta in contra-  
rium allata. Sed vrget Perez *loc. cit. num. 15.*  
aiens, rarissimum esse, vt coniuges, si de facto  
de Religione non cogitèt, postea primùm co-  
gitationem hanc Religionis ineundæ suscipi-  
ant, ideòque hoc à iure considerabile non es-  
se. Dicimus rarum quoque esse, vt cogitan-

tes



tes de Religione ineunda matrimonium contrahant, & tamen hoc à iure consideratur; cumque hoc in favorem magnum sit, meritò ad prædictum casum, quo cogitatio de Religione coniugibus saltem venire potest, consideratio hæc iuris extenditur.

XVIII. Epiphano Episcopo ad beneficium curatum in sua diœcesi valde insigne duo se sistunt competitores, vterque revera dignus, alter tamen altero dignior. Quæritur. Vtrum Epiphanius, quem velit, ex his eligere possit ad beneficium illud curatum?

Videtur teneri eligere digniorem. Ita Caiet. Navarr. Ledesma, Covarr. Azor, Vasq. Turrian. Less. Palao, & plures alij, quos citant, & sequuntur Card. de Lugo de Iustit. D. 35. num. 11. Barbosa in Collect. Tom. 1. L. 1. tit. 6. cap. 19. n. 4. & Pax Jordanus prælud. 12. suarum elucubrat. Moventur tum Authoritate Concilij Triden. sess. 24. de Reform. c. 1. Innocent. III. cap. vnic. de benef. & D. Thom. 2 2. q. 63. art. 2. ad 3. Tum ratione, quia ex iure naturali & iustitiâ distributivâ tenetur Elector consulere bono communi, & eius mala impedire, id quod non facit, præferendo digni digniori.

Resp. Non improbabile esse, Epiphanium absque graviore peccato posse, quem velit, ex his eligere, & dignum etiam præferre digniori in conferendo beneficio curato. Ita Glossa,

Hugo,



Hugo, Perusin. & Io. Andreas apud Thom. Sanchez *Consil. moral.* L. 2. c. 1. *dub.* 2. n. 15. Rochus de *Iure Patronatûs.* V. *Honorificum.* q. 15. *ad fin.* & alij apud Dian. p. 2. Tr. 15. *Resol.* 40. Casar Lambertinus apud Dicastillo de *Iust.* Tr. D. 8. num. 102. Sotus & nonnulli tacito nomine allegati apud Pacem Iordanum, *loc. cit.* n. 2. Alexand. Alenf. *part.* 2. q. 136. §. 2. relatus à Lugone *loc. cit.* n. 10. Denique hanc sententiam absolutè probabilem censet Filiuc. *Tom.* 3. Tr. 41. c. 4. n. 181. Prob. 1. Quia bonum Ecclesiæ plus non postulare videtur, quàm vt talis eligatur, qui debitâ beneficij curati gubernatione gerere possit. Atqui istud potest dignus; imò dignior non tenetur ad plus, quàm quod dignus præstat. Ergo eligendo dignum præ digniore nihil fit contra bonum commune Ecclesiæ. Prob. 2. Quia ad beneficia Ecclesiastica simplicia potest dignus eligi, neglecto digniore, vt docent vterque Navarr. Arrag. Ledesm. Gutierrez, & alij, quos citat & sequitur Sanch. *loc. cit.* n. 20. Item Patronus laicus, qui non est primus fundator beneficij, non tenetur præsentare digniorem, vt tradunt Molin. Azor, Less. Vasq. Gutierrez apud Pacem Iordanum *loc. cit.* n. 10. quorum opinionem ipse probabilem censet. Demum Papa & Reges in collationibus liberis non obligantur inquirere digniorem, & hunc præferre, vt docet Reginald. *Tom.* 2.



L. 30. Tr. 3. cap. 14. n. 197. cuius sententiam probabilem censet Dian *loc. cit. in fin.* & ferè Barbof. *c. 2. cit. num. 99* & Iordanus *loc. cit. num. 26.* Ergò etiam Epiphanius Episcopus ad beneficium curatū potest eligere dignum præ digniore; nam Concil. Trid. ius naturale, Iustitia distributiva vel æquè stant contra hæc omnia, vel nulli eorum magis obstant, vt ipsa Authorum inter se diversitas satis ostendit. Probat. 3. Quia Prælati in virtute & doctrina conspicui passim consanguineis, & familiaribus suis, vel alijs etiam beneficia & quidem pingua conferunt, si modò digni sint; esto adsint alij digniores, quos nemo idcirco grauioris peccati damnat. Subintelligendum tamen in his omnibus, *nisi ex iuramento, statuto, lege vel aliunde electio dignioris sit facienda*; quò respicientes aliqui ex adductis AA, variè in diuersis locis loqui videntur.

Ad *primum* id contrarium dicimus. Trident. Innocent. III. & S. Thomam loqui de electione Episcoporum, vt præter alios docet Filliuc. *loc. cit.* imò nemo est ex Adversarijs, qui non fateatur, suam sententiam inde erui tantum, non autem ex clato textu haberi. Ad *secundum.* Electorem neque ex iure naturali, neque ex iustitiâ distributiua teneri, præferre digniorem; non ex iure naturali, quia hoc plus non exigit, quàm vt officio curato ritè prospiciatur,



prospiciatur, quo facto, sufficiēter bono communi consulitur, & malum impeditur, aliās etiam beneficijs simplicibus, & in liberis collationibus à Papa & Regibus dignior semper esset præficiendus, quod etsi consequenter aliqui asserant, plerique tamen negant, vt vidimus: non ex Iusticia distributiua, quia beneficia instituta sunt in bonum Ecclesiæ absque respectu ad concertantes pro illis, vt fatetur Lugo n. 14. vt proinde dignior nullum inde ius habeat, quod proximè vrgeat, vt digno præferatur. Vnde infertur, nullā incurri obligationem restituendi, si digniori dignus præferatur, de quo Tanner T. 3. D. 4. Q. 8. d. 1. Dicastillo L. 2. de iust. Tr. 2. D. 8. dub. 5. & alij.

XIX. *Equitius vulnus infligit Dasio adeò grave, vt iste, dum mortem ille amplius impedire non potest, ex eo vulnere moriatur. Queritur. Vtrum Equitius, intellectā morte Dasij, satisfaciat postea in confessione dicendo, se lethale vulnus infixisse alicui; nullam mentionem faciendo mortis secuta?*

Videtur non satisfacere. Ita P. Thomas Sanchez de Matr. L. 9. D. 5. n. 30. Valent. Henricq. Palao Tr. 2. D. 1. p. 3. n. 7. Arriaga Tom. 3. D. 45. n. 13. & apud hos alij plures. Tum quia effectus isti, etsi in se non sint liberi, sunt tamen extrinsecè liberi, quod sufficit, vt patet in actu externo. Tum quia aliās nunquam dabitur obligatio confitendi pollutiones, ebrietas



ebrietatem, homicidium. &c. Respondetur. Satisfacere Equitium, prædicto modo se accusando. Ita Vasq. 1. 2. D. 94. cap. 3. n. 9. Granad. Bonac. Azor, & alij, quos referunt & sequuntur Cardin. de Lugo de Pœnit. D. 16. f. 9. n. 440. & Dicastillo de Pœn. D. 9 à n. 14. Ratio est. Tum quia nemo dicitur peccare etiam quoad denominationem tunc, quando impedire nequit, siquidem deest libertas ad actum peccaminosum necessariò requisita. Tum quia actus externi, etsi malitiam non habeant distinctam ab internis, informantur tamen ab istis, & sunt peccata, cum absolutè, dum fiunt, impediri possint; quod secus est in casu nostro, ubi idcirco mors secuta est tantùm effectus peccati, non autem ipsum peccatũ.

Vnde patet ad primam rationem in contrarium. Ad secundam concedimus, nunquam hæc confitenda esse (saltem per se loquendo, quidquid sit ratione censuræ fortè annexæ, aut obligationis restituendi &c. de quo Diana P. 8. T. 7. R. 85) Si positâ causâ nunquam impediri possint, ut nunc ponimus; non tamen idcirco imprudentiæ arguendi sunt pœnitentes, qui addunt in confessione, num effectus sint secuti; sic quippe & malitiam actus præcedentis, & statum suum exactiùs exprimere volūt; laudabiliter quidè, non tamen necessariò.

XX. Eulogius opifex laborat die festo, quod tamen confuse & in genere videtur ipsi esse peccatum,



*num, licet determinatè & in specie nihil occurrat, num graue, an leue sit. Queritur. Vtrum sic laborando mortale, vel veniale peccatum committat?*

Videtur committi mortale. Ita Vasq. in l. 2. D. 59. c. 3. Thom. Sanch. Tom. 1. Sum. L. 1. c. 1. n. 9. Ioan. Sanch. in select. D. 18. n. 1. Palao Tr. 1. D. 1. pu. 3. n. 6. & alij, quia in simili communis sententia docet, qui aliquid operatur ex obiecto venialiter duntaxat malo, dubitans, num sit mortale, peccat mortaliter. Ergo pari ratione, qui habet iudicium errans, quo putat aliquid esse peccatum, non distinguens, num mortale, aut veniale sit, faciendo contra talem conscientiam peccabit mortaliter. Sayrus L. 1. c. 4. n. 20. & alij RR. post Navarr. prelude 9. n. 9. non prorsus his consentiunt, rati attendendam esse materiam, in quam tendat tale iudicium seu dictamen, & peccatū fore tale, qualis materia illa, nempe vel veniale, si sit leuis, vel mortale, si sit gravis:

Resp. Committi solū veniale. Ita Valent. Cordob. Tann. Tom. 2. D. 2. q. 4. d. 2. n. 24. Arriag. Tom. 3. D. 13. de peccat. n. 7. Bresserus L. 5. n. 205. & alij. Ratio est, Tum quia operans præsumitur se virtualiter & interpretativè ad mitiorem partem determinare, cūm hīc agatur de re admodum odiosā, & iuxta regulam iuris *odiosa sint restringenda*. Tum quia, vbi non agnoscitur culpa mortalis, non potest imputari voluntati. Atqui ex hypoth.



hic non agnoscitur vlla ratio mortalis. Ergo, &c. Tum quia durissimum est dicere, hominem cum tali cognitione, si faciat iocosam, ac tenuissimum mendacium, peccare mortaliter, & mereri æternas inferni pœnas, cum nullam de peccato mortali habuerit cognitionem. Ergò tunc peccat solùm venialiter. Ergò etiam si grauis foret materia in seipsâ, si tamen cum eadem prorsus cognitione processisset, solùm peccaret venialiter, cum gravitas malitiæ in actu non desumatur tantùm ab ipsâ re extrinsecâ, sed intrinsecâ huius cognitione & amore.

Atque ex his patet etiã ad rationẽ in oppositũ, in quã cum malitia mortalis aliquo modo appareat, meritò voluntas eam acceptare censetur, quod secus se habet in casu nostro.

XXI. *Evagrius Clericus horas suas Canon. ad quas tenetur, absque vllâ devotione, & attentione internâ persolvit sponte inter illas cogitatione ad alia distractus. Quæritur, An peccet mortaliter?*

Videtur sic peccare mortaliter. Ita Navarr. Sotus, Caietan. Less. Bonac Azor, Sanch. Reginald. Suarez T. 2. de Relig. L. 3. c. 4. Palao Tr. 7. D. 2. p. 3. & plures alij. Moventur, tum quia C. dolentes, præcipit recitationem devotam. tum quia absque internâ attentione nulla est oratio. Ergo hoc ipso, quod Evagrius sub mortali ad orationẽ obligetur, sub mortali quoque obligatur ad aliquam internam attentionem.

Resp.



Resp. Allatam hanc doctrinam, vti communissima est, ita probabilissimam esse, & omnino in praxi tenendam. Nihilominus in gratiam tum Confessariorum, tum Scrupulorum addimus, non improbabile esse, Enagrium absque vllâ internâ attentione, vel ad verba, vel ad sensum horum orantem, & sponte ad alia animo distractum non peccare mortaliter, & consequenter non teneri, repetere horas, non priuari fructibus &c. Ita D. Antonin. 3. p. Tit. 13. c. 4. §. 7. & 8. Durand. Gerson, Rosella, Angelus, Ledesma, Coninck, in 3. p. Q. 83. art. 6. num. 291. & alij apud Sanchez L. 7. Consil. cap. 2. dub. 28. n. 6. Ratio est. Tum quia probabile est, Ecclesiam extra Confessionem non habere iurisdictionem in occulta. Tum quia oratio absque vlla etiam attentione internâ est actus Religionis quoad substantiam; attentio enim, sicuti in alijs virtutibus moralibus, v. g. fortitudinis, temperantiæ &c. non requiritur, ita nec in actu Religionis.

Ad primum in contrarium dicimus. C. dolentes præcipi actum devotum externum, qui satis sit ad externam Religionem contra illos, qui inter recitandum fabulantur cum sæcularibus. Ad secundum negamus antecedens ex dictis. Sed vrgent. Incredibile est, actum virtuosum non exigere internam honestatem illius virtutis. Dicimus externum hunc actum absque interno non habere rationem



veræ virtutis, pertinere tamé ad Religionem, & Ecclesiæ præcepto satisfacere. Inquiunt. Sic etiam actus mali ex mala intentione ad eandem spectabunt. Negamus subsumptum, cum actus isti de se Religioni repugnent, vt ut a illas per actum etiam peccaminosum Ecclesiæ præceptum impleri possit, vt apertè concedit Coninck *loc. cit. num. 296.* Instant. Non apparet, quomodo oratio sine vlla etiam virtuali attentione & intentione sit actus Religionis. Dicimus ex eo apparere, quod oratio etiam merè externa ita sit ex se comparata, vt eam persoluens communi hominum sensu colere Deum velle censeatur; sicut è contrario adoratio externa idolo facta etiam absque interna intentione est actus idololatriæ; quia ita ex se est comparata, vt eam exhibens communi omnium iudicio idolo deferre cultum velle videatur.

XXII. *Euphrosina illustris familia virgo audit paris nobilitatis domicellas in vicina Provincia novâ vestium formâ indutas, & magnam peccatoris, mamillarumque partem nudatas incedere, quas ipsa cupit imitari, & ad eandem imitationem alias quoque nobiles puellas in eodem secum Gineceo versantes hortatur. Queritur. Vtrum, & quomodo Euphrosina hoc faciendo peccet.*

Videtur non peccare, aut non nisi venialiter. Tum quia mulier non tenetur ornamenta licita, & statui suo convenientia respuere  
ob



ob acceptum potius, quàm datum scandalū, ut docet Granad. in 1. 2. *Contro.* 3. *Tr.* 13. *D.* 5. *f.* 5. *n.* 31. Sed ita se habent novæ vestes, & scandalum in proposito. Ergo &c. Tum quia inventio, & inductio novæ formæ in vestibus per se non est peccatum, cùm sit res indifferens: aut certè non nisi veniale ex eo, quod præbeatur exemplum vanitatis, ut communiter docent Theologi. Tum quia nudatio pectoris & mamillarum non prouocat per se libidinem, cùm pars ista sit honesta, quam nec natura, nec verecundia absolutè tegi postulet; vnde etiam B. V. & aliæ SS. Virgines ita pingi solent. Tum quia vicina Provincia cum ista in eadem Germania censetur quasi vna Patria. Ergo potest Euphrosina alijs accommodare se in vestibus, & eandem servare formam cum illis.

Resp. Euphrosinam induendo & inducendo de novo prædictam vestium formam & denudationem in hanc Prouinciam peccare mortaliter. Ita Less. *de Card. virt.* L. 4. *c.* 4. *n.* 112. Dicastillo *ibid.* L. 1. *D.* 3. *dub.* 25. Palao *ibid.* *D.* 3. *pun.* 8. *in fine.* Laym. L. 2. *Tr.* 3. *cap.* 13. *circa finem,* & his testibus communiter alijs. Probat. Tum autoritate Sac. Script. quæ ad Galat 5. ait, omnem impudiciam excludere à regno Dei. Atqui talis habitus recens est quædam impudicitia, cum iuxta ordinariam hominum infirmitatem excitativus sit in alio

C 5

libidinis,



libidinis, & concupiscentiæ carnis. Ergo à regno Dei excludit. Tum authoritate Patrum & Doctorum, è quibus nullus talis libidinosi habitûs vsus (saltem de novo introductum) excusavit à peccato mortali, vt testatur Petrus Marchantius *in Tribunal. Sacram. Tom. 3. Tr. 2. tit. 2. quæst. incidētis Resolut. 3. §. 1. Regula 1. fol. 30.* Placet apponere verba S. Augustini ex *Epist. 73.* sic habent: *Capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet; Si autem capillos nudare non decet, certè non licebit absque graviore peccato pectus & mamillas nudare, cum istud posterius respectu illius prioris iure meritò grande facinus habeatur.* Tum quia Euphrosina hæc vestium novâ formâ introducit rem ex se periculosam, & consequenter grauius bono publico & proximorum Spirituali saluti præiudicantē, cum censeatur dare causam peccati naturâ suâ mortalis, Tum quia novus vsus & inusitatus efficacius movet, quàm vsitatus & consuetudine inveteratus, vt non malè dicitur in illo cōsistere ratio pompæ Satanae, siquidē per eū tentat Satanas, & ad libidinē inducit.

Ad *primum* in contrarium distinguimus maiorem; concedendo, si ornamenta illa patriæ more gestentur: negando, si secus fiat, vt accidit in proposito. Ad *secundum* itid. distinguimus; concedendo, si sit ad honestatem absque periculo bonorum morum: negando,

si sit



si sit periculosa, qualis est in casu nostro. Ad tertium dicimus, saltem periculum esse provocandi ad libidinem, ubi recens denudatio ista inducitur. Pictura B. Virg. & aliarum SS. Virginum nihil evincit, fit illa iuxta morem omnium locorum. Ad quartum negamus duas amplissimas Provincias intra eandem Germaniam censerì eandem Patriam, cum in mille alijs vna alteram non agnoscat vivendi regulam.

Sed potestne denudatio illa saltem aliquousque admitti? Minimè, cum absque periculo nullus in istis ponatur limes. Quidquid igitur morali ac prudenti iudicio in prædictis vestibus novum ac periculosum est, id sub mortali à nullo potest indui, induci de novo in aliquem locum, permitti, iuberi &c. ut præter citatos docet Albertus de Albertis in *paradox. moral. de ornatu mulierum*, ubi etiam D. 2. c. 1. latissimè conatur probare, mulieres nudato pectore incedentes etiam iuxta Patriæ consuetudinem peccare mortaliter, & Principes & Episcopos generaliter teneri, talem consuetudinem extirpare, cui tamen Authori in hoc rigore non subscribimus.

XXIII. Eutichius frequenter exercet actus Amoris diuini aliæque obit opera pia, de quibus aliquando loquens Confessario ait, hac se facere præcisè propter bona temporalia assequenda tanquam propter finem, alioqui absque hac spe non facturus, quod



quod tanquam malum vehementer reprehenditur  
à Confessario. Quæritur. Vtrum Eutichius in hoc  
verè sit reprehensibilis?

Videtur esse, quia servire Deo propter mercedem, est quid servile ac mercenarium, id-  
que vituperat Christus in Evangelio passim,  
& SS. Patres. Sed qui bonum opus primò &  
principaliter facit propter bonum temporale,  
servit Deo propter metam mercedem. Er-  
go &c.

Resp. Eutichium non esse reprehensibi-  
lem. Ita Coninck *de actib. supern. D. 19. n. 22*:  
Ratio est, quia bona opera ex divina institu-  
tione sunt media ordinata non tantum ad di-  
vinam gloriã illustrandam, ac beatitudinem  
consequendam, sed etiam ad promovenda,  
& consequenda commoda vitæ temporalis.  
Ergo malum non erit, amorem aliaque opera  
bona ad hos fines ordinare, adeoque potest  
Eutichius amare Deum & alias actiones bo-  
nas non præceptas exercere præcisè in illum  
finem, ut aliquid temporale nullo modo ma-  
lum à Deo obtineat, absque spe huius non  
facturus illas; dummodo interim habitua-  
liter paratus sit, etiam sine tali spe servire Deo,  
quantum & quâ ratione ad id obligatur,  
cùm nullum extet præceptum, quo omnia  
opera nostra ad Dei gloriã & finem hone-  
stum referte iubemur, etsi laudabilissimè id  
fiat.

Ad



Ad rationem in contrarium dicimus, duobus modis seruire nos posse Deo ob mercedem temporalem vel æternam. Primò implendo eius præcepta. Secundò faciendo opera bona non præcepta; vtrumque opus est seruire ac mercenarium, sed non vtrumque malum. Cùm Christus & SS. Patres reprehendunt opus mercenarium, reprehendunt prius illud, in quo omnis habitualis affectus abest seruandi præcepta etiam sine tali spe: non posterius, in quo nulla obligatio adest operis faciendi. Quod si istud etiam reprehendere videntur, non reprehendunt, tanquam verè malum, sed tanquam minus bonum ac perfectum; constat enim, quod perfectius sit, Deo seruire propter se, quàm propter mercedem.

XXIV. *Fabius ob morbum, in quem ad initium quadragesimæ incidit, rogat, impetratque dispensationem in ieiunio quadragesimæ. Sed mox post 14. dies integrè conualescit. Quæritur. An vi acquisitæ huius dispensationis per reliquum quadragesimæ tempus eximatur à lege ieiunij?*

Videtur non eximi. Ita Sanch. L. 8. de Matr. D. 30. n. 4. quem plures RR. sequuntur. Tum quia cessante causâ dispensationis reviviscit lex ad sui obligationem. Tum quia in dispensatione subintelligitur conditio, si causa permaneat; aliàs dispensans esset iniquus. Tum quia alioqui totâ vitâ non teneretur amplius Fabius ad ieiunandum.

Resp.



Resp. Fabium eximi à lege ieiunij reliquò quadragesimæ tempore. Ita Salas D. 20. de LL. S. 6. *in fine*, plures alios allegans. Prob. Quia vniuersim dispensatio semel facta non est amplius revocanda, sicut nec iniuriæ remissio, vt habet Gloss. *in c. ex tua, de Fil. Presb. V. initiare.* & docent Pontius de Matr. L. 8. c. 20. n. 4. & plures alij DD. apud Bonac. de LL. D. 1. q. 2. *pun.* 10. §. 1. n. 5. Confirm. Lex semel destructa non redit absque voluntate Legislatoris. Sed si absolutè dispensat, non vult redire legem, quamuis causa cesset, quis enim dicat, dispensatum in voto Castitatis ob graves stimulos carnis, ijs cessantibus, denuo obligari? Atqui cum Fabio fuit absolutè pro hac quadragesimâ dispensatum in ieiunio, adeoque lex huius destructa. Ergo &c.

Ad *primum* in contrarium patet ex dictis. Sed dicit Palao Tr. 3. D. 4. *pu.* 15. n. 6. & 7. hoc non procedere, si detur dispensatio successiua, vt fit in proposito. Verùm dispensatio in proposito nõ est *successiua*, sed solùm eius vsus, quod non obstare valori dispensationis bene ostendit Arriag. de LL. D. 30. n. 38. Ad *secundum* dicimus, illam conditionem non subintelligi, nec dispensantem esse iniquum, quia probabiliter iudicauit, causam per totâ quadragesimam duraturam. Ad *tertium* negamus sequelam, quia moralis ac prudenti iudicio



cio nec Fabius potest putari, dispensationem pro totâ vitâ petijſſe, nec Episcopus, aut Pontifex sic eam concessisse.

XXV. *Felix Sacerdos nullis morbis, aut rerum negotijs impeditus longo tempore intra annum recitat officium de Resurrectione, breuissimum scilicet pro longioribus, cuius tanquam grauis peccati admonitus à confessario ait, se tenere sententiam Caramuelis in Reg. S. Benedicti D. 109. n. 1387. Vbi hoc pro veniali habet. Queritur. An confessarius huic poenitentis opinioni tanquam probabili accommodare se possit, ac debeat?*

Videtur posse, & debere. Tum ex auctoritate Caramuelis allegatâ. Tum ex ratione, quia impletur substantia præcepti. Tum ex praxi virorum doctorum & piorum, qualem nemo dubitat fuisse P. Franciscum Suarez ex Societ. IESV. quem constanter orâsse per totum annum Breviarium de resurrectione, sic ostendit Caramuel. Suarez dicitur singulis diebus 18. horas studuisse; iam si ex reliquis sex horis necessarium prorsus tempus demus Sacros refectioni, somno, & alijs, vix tantum remanebit, quantum requiritur ad officium Paschatis recitandum. Confirmatur hæc opinio: licitè aliquis dicere potest officium alicuius Sancti loco Ferialis, vt cum pluribus docet Dian. P. 1. Tr. 12. Resol. 3. Ergo & Resurrectionis.

Resp. Confessariū opinioni Felicis accommodare se non posse, nec debere, cū nullâ habeat

pro



probabilitatem, quod probatur. Tum quia communis DD. contrarium docet; opinio autem vnius, aut alterius, quam omnes alij reijciunt, non meretur probabilitatem. Tum quia hâc Canoniarum precum immutatione contra vniversalem Ecclesiæ vsum inordinatio committitur adeò gravis, vt opinio illam vniversim inducens nullo rationabili fundamento niti possit, sicut ex solutione argumentum patebit.

Itaque ad *primum* dicimus, Authoritatem Caramuelis vnius, aut etiam alterius Doctōris hîc non sufficere, cùm omnes alij Theologi reclament. Ad *secundum*. Negamus substantiam præcepti impleri, cùm officium Paschale *moraliter* non æquivalet officijs alijs per annum. Ad *tertium*, Fabulosum esse, quod affertur de P. Suarez, quem orationi addictissimum fuisse, viderunt nostri Patres, & dicentem audierunt, *malle se omnem suam scientiam perdere, quàm vnâ horam ex regula Ordinis quotidianæ orationi destinatam omittere*; quomodo ergò tot annis orationem Canonicam ex graui lege Ecclesiæ debitam turpi ac defectuosâ immutatione declinârît? Ad *confirmationem* dicimus, multos eam valde probabiliter negare, quos citat, & sequitur Palao *Tr. 7. D. 2. p. 2. n. 18.* Quidquid autem de hoc sit, negamus paritatem, cùm in tali officio *moraliter* adhuc seruetur præceptum: non



in officio de Resurrectione, vt rectè ipse ad-  
vertit Dian. P. 7. Tr. II. Resol. 7.

XXVI. Ferdinandus è Societate IESV Sacer-  
dos ante annos non multos in Danubio cum pluri-  
bus alijs naufragium passus acquirit tabulam, quã  
salvare se possit. Sed quia mulier pragnans in eo-  
dem naufragio cum prole vteri sui certò peritura  
opè huius inclamat, concedit ei tabulã spem aliquã  
adhuc evadendi concipiens, quã tabulã vsa mulier  
incolumis evadit, ipse submergitur. *Queritur.*  
*Vtrum Ferdinandus cum certo vitæ sua periculo*  
*potuerit, & debuerit mulieri succurrere, vt cum*  
*prole sua salvaretur?*

Videtur potuisse, ac debuisse. Ita Sylvest.  
Ledesma, Granad. Lay. L. 2. Tr. 3. c. 3. n. 3. Pa-  
lao Tr. 6. D. 1. p. 9. num. 2. & plerique alij.  
Quia vita spiritualis prolis aliàs sine baptismo  
mortality pluris faciendã est, quàm vita cor-  
poralis propria.

Resp. I. Ferdinandum non debuisse suc-  
currere mulieri pragnanti in certo periculo  
constitutæ cum aperto vitæ suæ periculo. Ita  
Emanuel Sa V. *Charitas. n. 4.* Ioan. Sancius  
*in select. D. 10. n. 9.* & alij apud Dian. P. 5. Tr.  
3. Resol. 16. Ratio est, Tum quia proles fortè  
iam mortua est, aut aliàs ad Baptismum non  
perveniet. Tum quia posito etiam, prolem  
superato hoc periculo certò victuram & ba-  
ptizandam, non tenetur Ferdinandus cum vi-  
tæ suæ periculo succurrere; alioqui & mater  
D  
gravida



gravida teneretur permitttere se secari, vt fœtus baptizaretur, aliàs sine baptismo moriturus, quod, inquit Sa, nemo asseret. Resp. II. Ferdinandum amore virtutis motum potuisse concedere tabulam fœminæ, seseque periculo committere. Ita communis Theolog. Tū quia qui negligit damnū propter amicū, iustus est. Prou. 12. Tum quia se periculo exponere, non est intrinsecè malum. Ergo defenditur & purgatur ab omni malitiâ, si hîc & nunc prudenter ob bonum altioris ordinis & valde magnum assumatur.

Ad rationem in contrarium dicimus, plus illam non probare, quàm teneri nos ob propriam vitam conseruandam damnum spirituale proximo non inferre: non verò illud impedire, nisi pactum seu conventio intercedat, vt rectè Sancius loc. cit.

XXVII. *Firmatus Parochus vi beneficij sui curati teneretur ter singulis hebdomadibus celebrare in Parochiâ, quod & facit, sed quia nullâ lege vel consuetudine prescribitur intentio certa, accipit pro iisdem Missis dicendis stipendium ab alijs, usque sacrificij fructum applicat, non verò suis ouibus. Queritur. An licitè hoc faciat?*

Videtur, quod non. Ita Sotus in 4. Dist. 13. q. 2. art. 2. Gavant. ad Rubricas missal. Tom. 1. p. 3. tit. 12. n. 5. Barbo de officio Paroch. cap. 12. num. 11. & alij. Tum quia Trident. sess. 25. de Reform. cap. 1. definit, Parochum præcepto diuino,



diuino teneri oves suas agnoscere, pro eis sacrificium offerre &c. Tum quia Sac. Congregatio Concilij An. 1626. determinauit, non bene Parochum accipere eleemosynam manualementem, quando tenetur celebrare. Tum quia Parochus sustentationem suam iam habet à Parochianis suis. Ergo non restat titulus amplius, ob quem stipendium pro missis accipere possit. Tum quia Parochus idèd alitur à suis Parochianis, vt erga eos officium Sacerdotis exerceat, offerendo scilicet Sacrificium Missæ, iuxta illud *Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona ac sacrificia pro peccatis &c.* Vnde *Barbosa 2. p. de potestate Episc. alleg. 24. n. 23. & Bonac. D. 4. de Sacr. q. vlt. à n. 5.* putant, obligationem hinc contineri ad offerendum saltem aliquoties pro subditis.

Resp. Firmatum absolutè nunquam teneri applicare fructum Sacrificij pro Parochianis suis, ideòque non illicitè facere omittendo hanc applicationem. Ita *Navarr. Reginaldus Vasq. Suarez, Coninck, & alij*, quos referunt & sequuntur *Palao Tr. 22. D. vnic. p. 13. num. 7. & Lugo Tom. 1. de Sacr. D. 21. n. 21.* Ratio est, quia officium Curati est, pascere oves verbo, & exemplo, ac Sacramentorum administratione, sacrificijque dispensatione, id quod fieri potest, etiam si fructus sacrificij specialiter



ter omnibus non applicetur, sed solum eâ generali applicatione, quâ omnibus fidelibus & præcipuè Sacrificio præsentibus applicetur.

Atque in hunc sensum intelligi debet Sac. Script. ad Hebr. Trident. loc. cit. & utrâque ratio in contrarium allata; etsi autem sic Parochus sustentationem habeat, id tamen non obstat, quò minus possit ac debeat sustentari ab eo, qui sacrificium pro se fieri postulat. Ad auctoritatem Congreg. Card. dicimus, eam loqui de Sacerdote, qui ratione beneficij, Cappellæ, aut Salarij certis diebus obligatur ad sacrificium pro alio, vt pluribus ostendit Lugol. loc. cit.

XXVIII. *Felicitas contraxit sponsalia cum Reuocato, quem videns postea frequenter esse cum Perpetuâ, & hanc osculari, amplexari &c. non vult amplius sponsione suâ stare. Queritur. Num ex dictâ causâ resilire possit?*

Videtur posse. Ita Palao Tom. 1. D. 1. p. 25. n. 3. Hurtadus, & alij, quos citat & sequitur Diana P. 10. Tr. 11. Resol. 28. sibi contrarius P. 3. Tr. 4. 283. Tum quia sponsus resilire posset, si in sponsa similia adverteret, vt post alios docet Dicastillo de Matr. D. 1. n. 577. Tum quia talia innuunt sponsi animum propensum erga aliam, vt de fide seruandâ iure suspectus esse possit.

Resp. Felicitatem resilire non posse: Ita Reginald, Sanch, Perez de Matr. D. 9. f. 16. n. 8.



n. 8. & alij. Ratio est, quia id sponsæ non est dedecus, nee censetur mutatio alicuius momenti; siquidem sponsus non inde redditus vilior.

Vnde ad primum in contrarium negatur paritas, quia in sponsa vergeret ad calumniandum sponsum. Ad secundum negamus, innuam talem propensionem, nisi illa oscula & tactus nimis frequentes & impudici sint, tunc enim Laym. P. 5. Tr. 10. part. 1. c. 2. n. 11. & alij concedunt, Felicitatem resilire posse; Atque sic reconciliari possent contrariæ sententiæ.

XXIX. *Flora parvum laborans & magnos sentiens dolores petit à Parocho, ut ipsam nuperrimè confessam, & Sacram synaxi munitam extremè inungere velit, quod & impetrat. Queritur. Rectène petitioni Floræ satisfecerit Parochus?*

Videtur quod non. Ita Bonac. de Sacram. D. 7. q. vnic. pun. 5. num. 4. & alij apud hunc, quia non laborabat Flora infirmitate corporali.

Resp. Parochum rectè inunxisse Floram, si dolores partûs naturam debilitârunt, atque ægritudinem periculosam causârunt: Secus si illi citra vitæ periculum steterint. Ita Dicastillo de Sacram. Tr. 7. D. 1. num. 161. Ratio est, quia ex comuni DD. & usu Ecclesiæ huius Sacramenti soli infirmi sunt capaces. Vnde Trident. sess. 14. cap. 4. vocat *Sacramentum exeuntium*. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.



XXX. Fronto miles ad turpem actum sollicitas Mauram matronam, quæ multum quidem reluctatur, quia tamen Fronto stricto gladio mortem intentat, ni morem gerat, metu huius consentit. Queritur. Vtrum Mauram consentiendo in turpem actum peccet mortaliter?

Videtur non peccare mortaliter. Tum quia actus iste non est ipsi voluntarius, cum metus talis iniuste incussus æquipollet vi illata, quæ ex communi sententia excusat à peccato. Tum quia metus gravis iuxta Dianam P. 5. Tr. 3. Resol. 39. excusat à peccato mortali sacerdotem, si celebret cum censura, post cibum, &c. Excusat quoque iuxta alios penitentem, si reticeat quædam peccata mortalia in confessione; Item accedentem ad Sacram Communionem cum conscientia peccati mortalis ex oblivione in confessione non expressi, si absque infamia declinare nequeat, quæ tamen omnia aliàs gravissimè etiam prohibentur.

Resp. Peccare Mauram mortaliter. Ita ex communi Dicastillo de Virtut. Cardin: L. 1. D. 3. n. 273. Ratio est, quia metus etiam mortis non tollit voluntarium simpliciter, licet hoc non nihil minuat. Ergò nec malitiam actionis intrinsecè malæ.

Vnde patet ad primum, & simul disparitas inter metum, & vim, quod hæc libertatem nullam relinquat: Secus ille. Ad secundum negatur



gatur itidem paritas, quia hæc non ita intrinsecè sunt mala, sed ex præceptis solùm positivis, quæ ( etiam diuina ) cum tanto incommodo non obligant, vt ex communi tradit Palao Tr. 2. D. 1. p. 13. n. 9. nisi bonum commune concernant. Vnde frangere sigillum confessionis, aut conficere Eucharistiam in pane non triticeo, absolvere indispositum, aut sine iurisdictione, dare extemam vñtionem suspendendo, aut capite plectendo. &c. nunquam ex quocunque metu licet iuxta communem Doëtorum.

XXXI. Frobenius turpi actu ideo peccat, quia simile peccatum iam antè admisit eadem operâ confitendū. *Quæritur. Vtrum peccatū committat præsumptionis peculiariter in confessione explicandū?*

Videtur ita peccasse, quia pollicitus est sibi indebito modo gratiam ad confessionem faciendam, & veniam impetrandam.

Resp. Frobenium non peccasse ex præsumptione, nec circumstantiam addidisse peculiariter in confessione exprimendam. Ita Tann. T. 2. D. 2. Q. 1. num. 79. Ratio est, quia ideo peccasse, quod iam simile peccatum sit admissum eadem operâ confitendum, nihil est aliud, quàm à metu novæ erubescentiæ solutum faciliùs peccare, ex quo solùm conijcitur, talem à peccato abstinere se tantùm propter humanam confusionem.

Vnde ad rationem in contrarium negatur



Frobeniū indebito modo sibi polliceri gratiā & peccatorum veniam, cū præcisè animum suum malè dispositum prodat.

XXXII. *Furius famulus furto sublegit Domino suo alium nummum ex alio, donec tandem ad eam quantitatem pervenit, quæ sufficeret ad peccatum mortale constituendum, cuius post medium ferè annum pœnitens confiterur id furtum suum. Queritur. An, & quando peccaverit mortaliter?*

Videtur nunquam peccasse mortaliter, Tum quia singula furta sunt levia. Tum quia aliàs ex multis venialibus conflaretur vnum mortale contra communem Theol. Casus iste diversimodè accidere potest, pro cuius igitur varietate.

Resp. I. Si Furius furari cœpit animo perveniendi ad magnam quantitatem, statim ab initio eum peccasse mortaliter. Card. de Lugo *de Iust. D. 16. n. 56.* quia voluntas illa prima ferebatur in obiectum graue. II. Si eo, quem diximus, animo furari perrexerit, singulis ipsum furtis minutis peccasse mortaliter; quæ aut vnum peccatum mortale integrant, Si nim. moraliter non fuerint interrupta: aut plura etiam numero constituunt, si moraliter sint discontinuata. Less. *L. 2. de Iust. cap. 12. d. 7.* nam licet executio singulorum sit tantum venialis ex se, vt tamen substat tali intentioni, est continuata executio peccati mortalis, aut  
repetita



repetita ad repetitam intentionem, postquam moraliter iam desierat. III. Si nunquam intenderit, nec aduerterit ad grauem materiam, nunquam eum peccasse mortaliter, sed semper uenialiter. Ita communis DD. quia illa furta tunc semper manent inter se disparata. IV. Si Furius non quidem intenderit materiam grauem auferre, aduertit tamen se ad eam ultimo suo furto iam pertinere, tunc teneri ipsum sub mortali restituere materiam illam. Sanchez *L. 7. c. 21. n. 3.* quia retinere alienum in materia graui, semper est græua item peccasse eundem mortaliter per ultimum furtum in se alioqui minutum. Palao. *Tom. 1. Tr. 2. D. pun. 9. S. 4. n. 4.* quia per illud completur acceptio integra in ratione acceptio- nis grauis. V. Si aduerterit, se peruenire ad quantitatem grauem, & proposuerit priora furta statim restituere, non peccasse eum mortaliter, ultimum accipiendo. Granad. *1. 2. T. 2. de peccat. D. 2. n. 51.* quia brevis illa detentio nihil aut parum obest. VI. Si priora furta non potuerit restituere amplius, addiderit tamen adhuc leue, per quod venit ad materiam grauem, peccasse eum mortaliter. Ita probabilius Lugo. *loc. cit. num. 39.* contra Less. Granad. & alios. Quia peccatum mortale æstimandum est ex damno proximi, non ex commodo furis; in proposito autem, siue possit, siue nõ possit famulus restituere, patitur



dominus per ultimum eius furtū graue damnum, quod hactenus non patiebatur. VII. Si denique Furius post ablatam materiam grauem insuper furatus fuerit leuem, non fecisse eum novum peccatum siue mortale siue veniale, sed prius reddidisse grauius. Ita recens cit. Auth. n. 44. contra Dicastillum, Sanch. Bonac. Filliut. & alios, quia peccatum illud pro obiecto habet tam priorem summam, quā novam materiam ablatam, quæ coalescunt in vnum damnum.

Ad primum in contrarium dicimus, singula quidem distributivè esse leuia, non tamen copulativè seu coniunctivè. Ad secundum negamus, ex venialibus fieri mortale, cum ipsa nō uniantur inter se, sed solum eorum ablatio, ratione cuius acceptio ultima est determinatio ad rem gravem. Arriag. D. 48. de peccat. num. 24.

XXXIII. Gildradus Presbyter in colloquio cum alijs, dicit Gilbertum, cui est à confessione, esse virum scrupulosum, ceterà bonum. Queritur. An violet sigillum?

Affirmant Coninck, Granad. Tamburin. opusc. de confess in append. cap. 3. n. 17. & alij. Negant Marchant. Martin. à S. Iosepho, & alij quos refert & sequitur Diana. P. 10. Tr. 12. R. 24.

Resp. Distinguendo cum Card. de Lugo Tom. de Pœnit. D. 23. n. 6. Gildradum violare, sigillum



figillum, si Gilbertus scrupulositatem confiteatur, aut ad declaranda peccata, vel conscientiam afferat, quia sic in obliquo est materia confessionis: Non violare, si scrupulositas non cognoscatur ex relatione, sed ex modo confitendi advertatur, quia sic nihil in confessione auditum reuelatur; quamvis Confessarij prudenter etiam ab hoc abstinere debeant, ne vlllo modo Sacramentum pœnitæ reddant odiosum. Atque sic satisfit diversis Authorum opinionibus.

XXXIV. *Golo lascivus Iuvenis turpe desiderium concipit erga Macrinam paris levitatis puellam, quod desiderium, ut explere valeat, domo suâ exit, domum amasia petit, & per quatuor ferè horas occasionem querit conveniendi illam, sepe interea prauâ suâ intentione iterans, tandem reperit eâ post obscœnum colloquium ad copulam devenit, & tam ante quàm post illam varios libidinosos tactus exercet. Queritur. Quot peccata Golo commiserit, & quomodo in confessione se explicet?*

Videtur plura comisisse distinctè in confessione explicanda. Primò quia plures sunt interruptiones, & quidem longiores vno quadrante, aut mediâ horâ, quod spatium ad multiplicationem requirit Fagundez L. 3. in secundum præcept. Ecclesie c. 5. n. 15. Secundò quia voluntariæ interveniunt intermissiones actûs, quos ad multiplicatione sufficere docent Vasq. l. 2. D. 75. cap. 2. Filliuc, Tr. 21. c. 8. n. 316. alij.

Ter-



Tertio quia nec formaliter, nec virtualiter, primus actus videtur perseverare inter exeundum, expectandum, colloquendum &c. ex quo multiplicationem infert Bonac. de peccat. D. 2. q. 4. pun. 2. num. 5. Quarto denique quia tactus impudici copulam consequentes non amplius ordinantur ad istam, ut docent Suarez de poenit. D. 22. s. 5. n. 26. Vasq. Coninck, & non pauci alij.

Resp. Golonem vnum tantum commisisse peccatum, & satisfacere in confessione dicendo, *se fornicatum esse*, si primo statim actu ipsum fornicationis opus intenderit, ut in casu ponimus. Ita post Nauar. Salas, l. 2. Tom. 4. Tr. 13. D. 5. s. 8. n. 91. Baldell. de peccat. in genere. D. 21. n. 3. Card. de Lugo de poenit. D. 16. à num. 553. Arrag. D. 43. n. 29. & plures alij. Ratio est. Tum quia est vna actio externa ab internis intenta, & causata, in qua externa actione internæ omnes complentur, & moraliter vniuntur, ut de tactibus alijsque pravis actibus præcedentibus communiter DD. affirmant. Tum quia tactus etiam subsequentes sunt quasi complementa quædam copulæ præteritæ, ac proinde morali iudicio vnum cum illâ peccatum efficiunt. Tum quia ijdem tactus non afferunt malitiam specie diuersam supra malitiam, quæ fuerat in peccato præcedenti: & aliunde habent connexionem talem & tantam cum illo peccato,

ut



vt vnum actum completum facere possint. Ergo non est, vnde surgat obligatio, illos speciatim explicandi. Secus foret, si priores actus absque intentione copulæ fierent, & posteriores non complerent naturâ suâ copulam habitam, vt rectè Hurtadus *de pœnit. D. 9. difficult. 6.*

Atque ex his patet satis ad argumenta contrariæ sententiæ; tametsi enim à puncto concepti mali desiderij interea temporis & interna fornicandi voluntas sæpius physicè sit intercepta ac renouata, & actiones plures externæ ad eum finem fuerint adhibitæ, hæ tamen nec specialem ac diuersam malitiam continent, nec interruptio illa fuit nimia, atque extraordinaria, vt in simili casu bene docet Arriaga *loc. cit.*

XXXV. *Goar Presbyter inter alios pro pœnitentiâ publicè in templo communicat Iuttam sceminam, quam paulò post à cancellis digressam interque alios flectentem, vides S. Hostiam ex ore in stropholum emittere ad inhonorandam illam, vt suspicatur. Queritur. An Goar publicè Iuttâ corripiat, S. Hostiâ eripiat, aut quid in hoc casu faciat?*

Videtur Iutta statim etiam coram alijs corripienda, & Sacra ei Hostia eripienda. Tum quia Sacerdos non potest dare S. Hostiam ei, quem scit, aut prudenter suspicatur, cupere illam ad conculcationem, aliâ mve inhonorationem, vt ex communi tradit Dicastillo *de Sacram.*



*Sacram. in communi. D. 3. n. 280.* Tum quia aliàs Goar cooperabitur ipsius peccato, si hoc non impediatur.

Resp. Iutam non esse publicè corripendam, aut quomodocunque confundendam, nec S. Hostiam ei coram alijs eripiendam, si eripi non ita dextrè ac occultè possit, vt omnes lateat. Ratio huius est. *Primò.* Quia potest ministrari Sacramentum Eucharistiæ occulto peccatori publicè id petenti, tum ad perturbationem magnam cauendam, tum maximè ad infamiam petentis euitandam, vt communis habet Theolog. Ergo illud iam administratum potest ei relinqui, qui peccaturus cum eo putatur. *Secundò.* Iutta est in possessione famæ suæ, nec nisi præsumptio sceleris stat contra ipsam, non autem manifesta indicia, aut semiplenæ probationes; quid enim si non S. Hostiam, sed meram saliuam, aut phlegma album ex ore emisisset? aut si hoc etiam fecisset, non autem ad inhonorationem faciendam, sed potius ad istam cauendam propter vomitum, ructum stomachi, aut similem debilitatem inopinatò insurgentem? Ergò extrudi ex illâ possessione absque graui iniuriâ non potest, infamando ipsam de tali cogitato scelere, vt in simili docent S. Thom. Sotus, Fagund. Dian. Lugo de *Iust. D. 40. num. 4.* *Tertiò.* Clericus accusare non potest in causa sanguinis, vt ex communi docet



docet Less. L. 2. de Iust. cap. 3. d. 5. Atqui prædicto modo corripere, & confundere Iuttam est *inchoatiuè* eam accusare; sic quippe publice infamaretur, sufficiensque fundamentum daretur Magistratui sæculari, eam ad tribunal suum rapiendi, torquendi &c. cum infamia sit, quæ Iudici viam aperiat ad inquirendum, vt docet ex communi Palao Tr. 6. D. 3. pun. 14. n. 3. *Quartò*, Quia nemo corripere tenetur alterum ad Dei etiam inhonorationem cauendam cum nimio suo incommodo, vt communiter DD. docent; Lex enim Christi suauius est. Sed Goari nimis arduum est, corripere Iuttam, & arguere talis sceleris, quod dein probare non possit; priùs autem, quàm illa in scelere proditam se fateatur, omnibus mendacijs & fraudibus vtetur, & de gravissimâ iniuriâ vehementissimè conqueretur, maxime cum ob imminens vitæ periculum licitè negare possit, vt docet Tanner 2. 2. D. 4. dub. 5. *Quid ergò faciat?* omnibus modis Goar tacitè Iuttam obseruet, vt ex aliquibus notis in eius deinde notitiam venire, cum eadem loqui, atque sic malo mederi possit. Quod si hoc ipsum absque graui incommodo facere nequeat, rem Deo commendet, nihilque se peccasse putet.

Ad *primum* in contrarium negamus paritatem. Tum quod Sacerdoti quasi certò constare supponatur futura conculcatio, aliæque inhono-

inhono-



inhonoratio S. Hostiæ. Tum quod idem Sacerdos absque grauiore & suo & alieno malo facere id posse videatur. Tum quod positiuè aliàs cooperaretur malo, quæ omnia secus se habent in casu nostro, vbi non est tanta certitudo facinoris, magna difficultas correctionis, nullus ad malum positiuus concursus. Vnde etiam patet ad *secundum*; Est quippe hæc mera permissio ex rationabili causâ facta.

XXXVI. *Gurias advertit in Capitulo, cui assidet, iniquam fieri electionem, & tamen tacet, nec contradicit, cum vtiliter posset. Queritur. Vtrum consentire iudicetur?*

Videtur consentire, vt docent Innocent. in *cap. 1. De his, quæ fiunt à maiore parte Capituli*, Abbas *ibid. n. 3.* & alij apud Azor. T. 1. L. 1. c. 4.

Resp. Guriam consentire quidem sufficienter in ordine ad peccatum, & pœnam incurrendam: non item ad valorem electionis. Ita Laym. L. 1. Tr. 2. c. 3. num. 3. Escobar in *principijs Theol. Exam. 2. c. 6.* & alij. Ratio prioris sumitur ex *reg. 43. in 6. Qui tacet consentire videtur, si videlicet consentire nolens negare, vel contradicere deberet, vt fit in proposito.* Ratio posterioris est, quia taciturnitas in re graui, quando communitati præiudicat, pro consensu haberi non debet. Atqui in hac electione taciturnitas sic præiudicare censetur.

Ergo &c.



Ergo &c. *Innocentium loc. cit. dicimus*, intelligendum esse iuxta primam partem responsionis; atque sic patet ad argumentum in contrarium.

XXXVII. *Heribertus Episcopus in diœcesi sua beneficium simplex Ecclesie penitus diruta aliò per vnionem transtulit, non requisito consensu Mauri Abbatis, qui Ecclesie illius Patronus idcirco reclamatur. Queritur. Virum translatio, & unio hæc sit valida?*

Videtur non valere, & iure reclamare Maurum. Ita Aloysius Riccius. *Tom. 1. praxis rerum quorid. Resol. 179.* vbi magnâ Authoritate invaliditatem hanc astruit ex defectu consensûs Mauri, qui ratione fundi habet ius Patronatûs iuxta illud: *Patronum faciunt dos, edificatio, fundus.*

Resp. Translationem & vnionem ab Heriberto factam valere, & immeritò reclamare Maurum. Probat. 1. Quia ius Patronatûs destructâ penitus Ecclesiâ omnino tollitur, vt docent Andreas Valens. *L. 3. tit. 38. n. 6.* Pax Jordanus *in suis elucubr. vol. 3. de re beneficiar. L. 10. tit. 7. n. 42.* & Barbosa *de potest. Episc. Allegat. 70 n. 6. & 7.* vbi ait, ius Patronatûs acquiri ab eo, qui Ecclesiam penitus destructam reedificat. Ergo prius cum ruente Ecclesia corruit, & deperditum fuit. Prob. 2. Quando beneficium aliquod supprimendum est, vti fit in proposito, non requiritur consensus Patro-



ni Ecclesiastici, qualis est Maurus Abbas, sed tantum Laici, ut docet Pax Jordanus *volum. 2. cit. L. 10. tit. 29. n. 11.* aiens, hoc liquere ex Trident. *decreto sess. 24. de Reform. cap. 15.* quod unicum videtur obstare. In eandem sententiam citantur Abbas, Felinus, Azor, qui aiunt, à Concilio nullam fuisse rationem habitam Patroni Ecclesiastici, sed tantum Laici.

Ad Authoritatem & fundamentum oppositæ sententiæ dicimus, in illis supponi, Ecclesiâ adhuc integrâ, & non funditus destructâ, Patronum esse neglectum, quod secus se habet in casu nostro, ut ex dictis liquet.

XXXVIII. *Hesychius in multis dubius hæret, num scilicet consensum morosæ delectationi dederit? num mortaliter detraxerit? num alienum retineat &c? Queritur. An hæc confiteri debeat?*

Videtur non teneri. Ita Marchant. *in Trib. Sacrm. Tr. 4. 4. tit. 6. q. 5.* Caramuel. *in Theol. Mor. L. 3. D. 4. n. 1078.* & alij. Prob. Tum authoritate Concilij Tridentini, quod *sess. 14. c. 5.* ait, oportere à pœnitente omnia mortalia dici, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet. Atqui dubitans, an verè peccaverit, nō potest dici, habere conscientiam peccati; etenim habere conscientiam, est certum esse de peccato. Tum quia dubius est in possessione suæ innocentiae. Tum quia ad tribunal forense deferri non solent dubia facta, Ergo nec ad Sacrum, Resp:



Resp. Hesygium dubium esse posse dupliciter, 1. *positiuè*, si vtrunque adsint rationes probabiles ad ferendum iudicium in vtramque partem. 2. *negatiuè*, quando pro neutra parte adsunt rationes ad probabilem assensum huius vel illius partis. Si igitur Hesygius dubitat *positiuè*, seu iudicat probabiler, se grauer non peccasse, non tenetur confiteri: secus si dubitat *negatiuè*. Priorem partem admittunt plerique omnes; quia talis sequi potest opinionem probabilem, sicut in alijs materijs, eo enim ipso operabitur humano modo prudenter.

Posteriorem partem, de qua est quæstio, peccata scil. dubia, *vt dubia*, esse confitenda, tenet planè communis Theolog. cum S. Thoma in 4. Dist. 21. q. 2. art. 3. *ad tertium*. vt videre est apud Franc. Bardi *Discept. 6. de conscient. dub. cap. II. part. 4. § 1.* Ratio desumitur tum ex communi sensu Fidelium, & praxi totius Ecclesiæ, cuius initium credendum est emanasse ab Apostolis, vt plurib. ostendit. *Auth. n. 5.* Tum quia Sacramentum pœnitentiæ potuit institui cum obligatione confitendi peccata dubia: & sic de facto institutum esse à Christo, colligitur ex prædicto consensu Fidelium, & praxi totius Ecclesiæ, quæ est optimus legum interpret.

*Ad primum in contrarium dicimus, eum, qui post diligens sui examen dubitat, num peccâ-*



rit, habere verè & propriè conscientiam de illo peccato licet dubiam; vnde autem constat, Concilium requisivisse certam? Ad secundum, axioma illud non habere hîc locum, cum præceptum confessionis prævaleat, ideòque possessio non faveat. Ad tertium, forum pœnitentiale, vt in multis alijs, ita & in hoc diuersum esse à forensi. Nolim tamen ob hæc tanquam improbabilem reijcere sententiam contrariam, quam etiam tuetur P. Ioan. Præpositus de Sacr. q. 5. de Integritate Confess. num. 118. vbi ait, eam speculatiuè probabilem esse visam P. Lessio, & quibusdam alijs à se consultis; eandem maiore authoritate stabilit Diana P. 11. Tr. 8. Res. 44. quamuis idcirco, in praxi non sit recedendum à communi sententia, quæ vult, dubia ista confitenda esse.

XXXIX. *Hilarius Sacerdos ex nullâ peculiari causâ orat subinde totum Breuiarium summò mane: subinde serâ primum nocte, cum tamen manè celebrasset; accidit etiam, vt lusu & confabulatione præpeditus inciperet Breuiarium circa medium duodecimâ noctu pro illo die, & finiret illud mediâ circiter horâ post duodecimâ iam auditam. Queritur. Vtrum peccârit mortaliter?*

Videtur sic peccâsse. Tum quia celebrat antè matutinum contra prohibitionem Pij V. in Missali, & plures Theologos apud Sanchez L. 7. Consil. cap. 2. dub. 28. Tum quia absoluit Breuiarium post tempus præfixum iam elapsum.



sum. Tum quia facit contra gravem consuetudinem Ecclesiæ.

Resp. Hilarium recitando totum Breviarium sive summo manè, sive serâ nocte absque iusta etiam causâ non peccare mortaliter. Ita cum pluribus antiquis & recentioribus Sanchez *loc. cit. dub. 36.* Tum quia substantia præcepti in hoc consistit, ut horæ Canonice à media nocte vsq; ad alterâ mediam noctem dicantur. Tum quia Missa non est hora Canonica, nec habet vllum ordinem ad horas. Quare nullum est prorsus peccatum, si horæ Canonice ex aliquâ causâ iustâ dicantur quocunque diei tempore post Sacrum: Veniale autem solùm, si hoc absque ratione aliqua immoderatè fiat, ut communiter tenent TT. contra Caramuelem *in Theol. fundam. fundamento 53. §. 20. n. 11.* Imò nec grauiorem culpam committet, qui ante duodecimam noctis Breviarium incipiens circa medium primæ illud primùm absoluit, ut probabiliter docet Leãdrus apud eundem Dianã, *P. 10. Tr. 11. R. 16.* quia ex mente plurium DD. omnes septem horæ sunt vnica oratio vno præcepto imposita. Ergo oratio hæc debito tempore cœpta rectè in continenti finitur, etsi post duodecimam iam auditam; perinde ut Sacrum intrâ tempus præfixum ac vltimo adhuc quadrante ante meridiem inchoatum rectè post illud elapsum adhuc finitur.

E 3

Atque



Atque ex his patet ad rationem in oppositum; neque enim vel præceptum Pij V. vel consuetudo Ecclesiæ sub grauiori peccato obligant, aut sic recepta sunt.

XL. *Homobonus confitetur, se subinde iocos quosdam fecisse, & verba lepida protulisse, cibis aliquibus libenter vesci solitum, fornacem calidam frigoris pellendi causa accessisse, barbam & capitis capillos fricuisse, nares emunxisse, aliàsque actiones exercuisse præcisè, vt commodas naturæ humanæ. Queritur. Vtrum talia sint sufficiens materia confessionis?*

Videtur, tales actiones sine relatione ad finem honestum deliberatè exercitas, per se loquendo, esse omnino sufficientem materiam. Ita expressè Granad. *de Act. hum. D. 2. s. 1. n. 14.* cui adstipulantur Suar. Ruiz. Lay. Filia. Tanner, Becanus, & quotquot putant, non dari per se vllum actum humanum in individuo indifferentem propter has rationes. Primò quia Matth. 12. habetur, dari *verbum otiosum*, de quo ratio Deo reddenda. Secundò, quia homo, cum adest perfecta deliberatio, tenetur operari ad finem excellentiorem. Tertio, quia indignum videtur humanam naturam comedere, bibere, copulam conjugalem exercere propter meram delectationem; vnde hoc postremum communiter dicunt Theologi esse peccatum veniale. Quarto, quia aliàs liceret operari præcisè propter honorem. Quintò,



Quintò, quia videtur prodigalitas spiritualis.

Resp. Prædicta non esse materiam sufficientem confessionis, utpote non peccaminosa. Ita post Alensem, Bonavent. Gabriel. & alios Vasquez 1. 2. D. 52 c. 2. Arriag D. 21. s. 4. Ouedo. in. 1. 2. Tr. 4. Contro. 7. p. 5. & plures apud hos. Ratio est, Tum quia nullum est præceptum naturale, aut positivum referendi omnes actiones ex se indifferentes in finem honestum. Tum quia non tenemur semper operari iuxta regulam rectæ rationis; modò non agamus contra eam, cum ex præceptis duobus (*declina à malo, & fac bonum*) prius duntaxat sit *negativum*: alterum *affirmativum*. Tum quia standum semper pro libertate, cui non debemus ullam obligationem imponere sine fundamento, quale hic nullum est, ut patebit ex solutione argumentorum in contrarium.

Itaque ad primum dicimus cum Vasquez, Arriaga & cæteris Authoribus nostræ sententiæ, per verbum *otiosum* intelligi hic quod non refertur ad ullam necessitatem, aut commodum nature, sed ex mera loquendi libidine profertur, quod proportionaliter de actionibus sentiendum. Ad secundum negamus, hominem teneri semper operari nobiliori modo; sicuti Princeps non tenetur semper operari supra alios. Ad tertium non esse peccatum edere, bibere, & speciatim actum matrimonialem exercere



propter solam delectationem, vt docent Io. Sanchez. Basilius Pontius. Dian. P. 3. Tr. 4. Resol. 226. & alij. *Ad quartum* non apparere, cur istud non liceat cum debitâ moderatione. *Ad quintum*, negatur esse prodigalitatem, cum suum habeat commodum.

XLI. *Ioachimus videt Patrem spiritualemente & naturalem suum in pari necessitate constitutos, nec utriusque succurrere potest. Queritur. Quem horum alteri praeferat?*

Videtur spiritualis praeferendus: Tum quia beneficium ab hoc acceptum pluris est faciendum. Tum quia in Spiritualibus bonis Pater Spirituales est coniunctior, quam naturalis, vt docet Bonac. D. 3. q. 4. de Charit. pu. 1. in. fin. post Abulensem Valent. & alios.

Resp. Cæteris paribus Patrem naturalem spirituali praeponendum. Ita Suar. Coninc. Palao Tr. 6. D. 1. p. 10. n. 7. & alij. Ratio est. Tum quia dare primum esse substantiale ac viuere, est primum beneficium, ac fundamentum, cui alia supersterni debent. Tum quia carnalis coniunctio aliarum coniunctionum basis ac fundamentum suapte naturâ est prior ac stabilior.

*Ad primum* in contrarium dicimus, beneficium à Patre Spirituali acceptum esse quidem pluris aestimandum *secundum se*, non tamen *quoad coniunctionem*, vniuersim autem illi magis subueniendum, qui nobis est coniunctior,

or,



or, vt rectè Becan. 2. 2. cap. 19. q. 3. num. 6. Vnde in casu necessitatis quivis cōsanguinei, et si minùs sancti, aut fortè peccatores, præferendi sunt sanctioribus extraneis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, quia ex charitate obligamur sanguine iunctis hoc ipso, quod nobis iuncti sint, succurrere: At verò sanctitas non inducit nobis hanc obligationem. Ad secundum satis patet ex recèns dictis; nam carnalis coniunctio non solùm obligat ad providendum sic coniunctis in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, vtpote magis necessarijs. Ergo obligat ad præferendum hos sic naturaliter coniunctos eis, qui solùm extrinsecè & in Spiritu coniuncti sunt, vt rectè Suarez D. 9. de Charitate. sect. 4. num. 19. Aliud fortè est de Prælato respectu suorum subditorum Religiosorum, quem Coninck de Actib. supernat. Diss. 25. num. 152. & 171. probabiliter putat, teneri illis priùs providere, quàm quibusvis consanguineis (excepto parente) tam in temporalis necessitate, quàm in Spirituali, cùm ipsi se totos Religionis tradiderint, & loco parentis Religionem susceperint, & sub ea cura Religio eos receperit; vnde in responsione reflexè diximus, cæteris paribus.

XLII. *Ioannicius Adolescens vouit non ducere uxorem, cuius voti multò post tempore pœnitens, ex certâ causâ Romæ petit impetrâque dispensa-*

E 5

tione



tionem in voto Castitatis. *Quæritur. Vtrum hoc votum indigeat dispensatione Papæ?*

Videtur indigere. Ita Caietan. *de voto*, quia votum non nubendi est perpetuum, & reducit ad Castitatem.

Resp. Non indigere dispensatione Papæ: Ita Barbof. *de potest. Episc.* p. 2. alleg. 37. n. 17. Sanch. *in sum.* Tom. 1. L. 4. cap. 40. n. 66. Sa, v. *votum.* Dian. F. 3. Tr. 11. Resol. 59. & plures apud hos, Ratio est, quia votum, cuius dispensationem Papa sibi reseruauit, non est, nisi perfectæ castitatis, ex communi DD. Atqui votum, non ducere vxorem, quâ tale, nõ est perfectæ Castitatis, Ergo eius dispensationem Papa sibi non reseruauit. *Dixi, quâ tales aliud enim esset, si hisce verbis quasi per accidens Ioannicius intendisset perfectam Castitatem vouere.*

*Ad rationem Caietani dicimus, hoc votum non reduci ad Castitatem tanquam perfectam eius rationem participans, sed remotè tantum ad hanc disponens; vnde cum tali voto fornicans à nullo Theol. censetur votum Castitatis violâsse. Si tamen ex hypothese votum prædictum non nubendi dispensatione Papæ indigeret, ea, quæ defacto est impetrata, valeret, quantumvis vi terminorum votum Castitatis sonet, quale, vt diximus, non est votum, non ducendi vxorem; nam qui dispensat in maiore, etiam in minore dispensare censetur. Bonac. D. 2. q. 2. p. 5. n. 15.* XLIII.



**XLIII.** *Iordanus Beneficiatus frequenter omittit Breviarium, nec tamen restituit fructus illorum dierum, eo quod omissionem unius diei suppleat alio die, bis Breviarium dicendo. Quæritur. Vtrum idcirco à restitutione excusetur?*

Videtur non excusari. Ita Henriq. *L. 3. cap. 17. Bonac. de Horis Canon. D. 1. Q. 5. p. 2. n. 5. alij.* Quia onus illius diei est affixum prædicto diei, & transit cum die, adeoque trahet etiam secum obligationem restitutionis.

Resp. Iordanum excusari. Ita Maior. Paludanus, Ledesma apud Henriq. *loc. cit.* Filiiuc. *Tr. 23. c. 10. n. 307.* & alij. Tum quia alio die recitans Breviarium omissum rependit æquale. Tum quia etiam, qui certo die tenetur legere Sacrum, non tenetur quidquam restituere, si alio die sacrificet.

Ad rationem in oppositum dicimus, onus illius diei esse quidem affixum diei, & transire cum die quoad culpam, non verò quoad pœnam Ecclesiasticam adiectam; hæc enim tam diu suspensa manet, donec sequenti tempore omissio in æquali compensetur. Vnde culpa & pœna non semper se comitantur; id quod Henriq. ipse concedere debet excusans *v. 29. comp. n. 30.* Beneficiatum ab omni fructuum restitutione, si per annum octies v. g. omitat Breviarium, quo in casu eundem utique non excusabit à culpâ.

**XLIV.** *Irenæus contra homines æquè ac iumenta*



menta frequenter iratus enunciat Christi vulnera, Sanguinem, Chrisma, Sacramenta, & horum non raro multa millia multiplicat dicendo: Hunderttausent Sacrament: daß dich Blut/ Tauff/ Chrysam schendt/ &c. Queritur. Vtrum mortaliter blasphemando peccet?

Videtur mortaliter sic peccare. Tum quia his verbis præter dirum maledictum inest etiam blasphemia. Tum quia Sacramentorum numerum contra fidem contemptim multiplicat. Tum quia res Sacras ob peruersum usum inuocatas dehonestat.

Resp. I. Si affectus indignationis & iræ tendat saltem virtualiter in Deum, committi grauem blasphemiam. Ita omnes, quia imminuitur indirectè saltem diuinus honor.

Resp. II. Si idem affectus non quidem tendat in Deum etiam indirectè, Irenæus tamen attenderit ad vilipensionem Dei, ac rei Sacrae, quam ea verba præ se ferunt, committi itidem mortalem blasphemiam. Ita Tanner. 22. D 1. Q. 8. n. 134. quia derogatur honori Dei.

Resp. III. Si ille ipse affectus indignationis & iræ nec vlllo modo tendat in Deum: nec Irenæus ad vilipensionem Dei & rerum Sacrarum attendat, non committi aliquod peccatum grauius. Ita Laym. L. 4. Tr. 10. cap. 6. n. 12. Ratio desumitur ex defectu cognitionis & voluntarij; quia tamen aliqua est irreuerentia, saltem materialiter talibus verbis



bis vti, ideo venialiter peccari, admittit Sanchez *L. 2. cap. 32. num. 30.*

Atque ex his patet ad rationes in contrarium iuxta diuersa responsa, è quibus vltimum eò frequentiore vsum habet, quò rariores sunt inter Germanos nostros, qui hisce iræ impetibus Deo, rebusque Sacris honorem atque æstimationem detrahere velint. Ceterum eum, qui habet talium verborum consuetudinem, teneri seridò conari eam tollere, rectè docet Layman *L. 1. Tr. 2. l. 3. n. 6.* & diximus supra casu III.

**XLV.** Iovita 1000. florenos hodie post annum solvere debet Faustino: & licet debiti huius nulla sit difficultas, nec aliud damnum, lucrum cessans &c. paciscuntur tamen, & ita convenit inter eos, vt Iovita presentes numeret hodie Faustino 900. florenos pro mille post annum solvendis, recipiatque Chirographum suum. *Queritur. Vtrum solutio hac sit licita?*

Videtur vsuraria. Ita Sotus, Valent. Molin. P. Navarr. Dicastillo *de Iust. T. 9. D. 2. n. 68.* & hoc teste communis Theolog. Ratio est, quia tanti æstimantur centum hodie, quanti post annum, adeoque sola expectatio temporis daret valorem rei, quod est absurdum, vt ostendit Dicastillo in varijs exemplis, inter quæ & contrariam sententiam paritatem constituit.

Resp. Probabile esse, solutionem illam  
non



non esse usurariam. Ita Abbas C. *in ciuit. num.* 7. *de usura*. Caiet. M. Navarr. Tolet. Sa, & alij apud Palao *de Iust. D. 5. p. 13. n. 5.* quibus accedunt Cardin. Bellarminus, & Layman. Tr. 4. *de Iust. cap. 17. §. 5. n. 33.* quorum ille sententiam hanc absolutè olim docuit, vt testatur Less. *e. 21. dub. 8.* iste eandem probabilem agnoscit, licet contrariam tanquam securiorem præferat. Ratio desumitur ex opposito fundamento, quod scilicet ius præsertim distans communi hominum æstimatione minoris valeat, quàm pecuniæ præsentis: & hoc ius vendatur instar mercis. Ergò iustè emi sic minoris potest. Confirmatur. Solutio 1000. florenor. singulis annis per decennium ab hærede alicui facienda, si redimatur, communi hominū æstimatione minoris sit v. g. 800. floren. & tamen non liceret mutuo alicui dare 800. florenoseâ legè, vt post decennium redderet mille ( præcisè ratione mutui abstrahendo à damno, lucro cessante &c. ) vt rectè advertit Laym. *loc. cit.* addens rationem ex Less. quia cum ius aliquod per modum mercis venale exponitur, per accidens ratione circumstantiarum aliam æstimationem accipit, quam ex suâ naturâ præcisè spectatâ haberet.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum, & varias sequelas, quas plerique ex nostra sententiâ faciunt, quæ omnia ex eo ruunt,



unt, quod non ex solâ dilatione, vt sibi persuadent, sed aliâ hominum aestimatione contractum hunc non illicitum putemus. Non refert autem, quod ipse Louita debitum suum prædicto modo redimat, non enim debet ipse peioris esse conditionis, quàm quiuis alius, dummodo ipse non sit causa, cur Faustinus velit vendere, vt si præberet se difficilem ad soluendum, hanc enim difficultatem tenetur ille tollere, vt bene Lessi, *loc cit.* n. 70.

XLVI. *Lea mater, vt filioli sui ruptura medeatur, nomen huius scheda inscriptum per quem ruptam ab aliquo suorum transmitti curat, ipsa interim domi pro eodem orat, sic enucleatè facere edocta à grandæua anu, quæ medium istud probatum affirmavit & suâ & multarū matrum experientiâ, quæ filiolos suos integritati valetudinis hâc ratione restituerunt. Queritur. Vtrum licitè hoc fiat?*

Videtur licitè fieri. Tum quia nihil in eo mali apparet. Tum quia similia alia passim ab hominibus, quos virtus & Religio commendat, vsurpantur.

Resp. *Leam* illicitè prædicto modo mederi filiolo suo, & comittere superstitionem seu vanam obseruantiam, quæ ex genere suo peccatum mortale est. Ita S. Thom. 22. q. 96. art. 1. Valent. Tanner, Laym, Bonac. & alij Theologi communiter. Ratio est, quia vsurpatur medium vanum ad obtinendum aliquod



quod bonum corporis, quod idcirco non à Deo expectatur, sed à diabolo talium superstitionum auctore; quam enim vim naturalem habeat transmissio schedæ per quercum ruptam ad curandam rupturam corporis humani? cum ergo nec de supernaturali legitime constet, opem diaboli interuenire oportet, quod utique ex genere suo est mortale peccatū, cum honor diuinus creaturæ tribuatur, expectando ab eâ, quod à solo Deo expectari debet; nec excusari Lea ab hac malitiâ contractâ potest, nisi fortè ex ignorantia & animi leuitate id fecerit, vt rectè Tanner 22. D. 5. q. 7. n. 25. Ad primum in contrarium dicimus, implicitum in eo contineri pactum cum dæmone, cum eiusmodi effectus & recuperata sanitas per tam disproportionatum & vanum medium nec à natura haberi, nec à Deo putari possit. *Non obest*, quod mater domi orare debeat, dum foris schedæ & nomen filioli per quercum traicitur; hæc ipsa enim familiaris est fraus diaboli, sub specie boni decipere incautos, & simul rebus diuino cultui destinatis ad nefandum suum seruitium abuti. Ad secundum dicimus, si alia similia passim fiant, dolendum vehementer, non magis homines iuxta præceptum Apostoli 1. *Thessal 5. ab omni specie mali abstinere se*, quæ tamen species mali ex insufficientiâ causæ ad talem effectum, ex adiunctione



injunctione falsarum & vanarum circumstantiarum, ex euanido sæpe effectu haud difficulter deprehenditur, vt reverà magna valde ignorantia & simplicitas hominis esse debeat, qui ex tali vngue infernalem Leonem non dignoscat.

XLVII. *Lioba nobilis virgo videtur sibi ex vana parte assiduo irasci contra Deum, aliosque Sanctos, odio hos prosequi, blasphemare, imò pedibus illos velle terere, acubus pungere, cultris scindere, in fœdissimos locos abijcere &c. Atque hæc advenit non solum in imaginatione hærerè, sed ad cor, animumque pertinere: ex altera verò parte videtur sibi cupere omnia opposita, velle prædictis omnibus assensum negare, non tamen posse, ideòque vehementer inde discutiatur. Quæritur. Quid de his in confessione dictis iudicet Confessarius?*

Videtur peccare, & quidem gravissimè. Tum quia assensum dat in obiecta longè pessima, hoc ipso, quod ista ad cor, animumque pertinent, per assensum scilicet voluntatis. Tum quia agit contra conscientiam, quâ agnoscit, illa non facienda esse.

Resp. Confessarium iudicare debere, *Liobam* in hoc casu non peccare. Ita Baldellus in *Disputationibus ex Theologia Morali L. 4. D. 4. n. 2.* Ratio est, quia *Lioba* in prædictis omnibus non est libera, sed ex nimia intentione, & efficacitate phantasmatum depravatorum, quæ nimis importunè se ingerunt,



ita perturbatæ rationis, vt libertas subsistere nequeat; quod planè ex eo conijcitur, quod dicat, non posse se cogitationes abijcere, & assensum negare. Si ergo non potest non agere, liberè non agit; neque hoc mirum, cum enim intellectus in hac vita dependeat à sensibus & phantasmatis, his corruptis, aut viciatis, necesse est, etiam ipsum quoad suas operationes marcescere.

Ad *primum* in contrarium dicimus, assensum illum non esse liberum, vt proinde malus esse moraliter nequeat; esto tendat in obiectum pessimum. Ad *secundum*. Non sufficere ad peccatum, quod quis agat contra conscientiam, sed insuper requiri, & supponi libertatem & potentiam in oppositum, vt bene cit. Author ex communi aliorum; id quod in proposito non habetur.

XLVIII. *Magistratus Ciuitatis Staguensis egemfert, ne quis ciuium & subditorum ex cellis priuilegiatis vnicam mensuram vini emat sub multa s. imperialium. Queritur. Vtrum lex ista obliget sub peccato?*

Videtur obligare in conscientia. Ita Bonac. de leg. D. 1. Q. 1. pun. 7. § 2. n. 1. vbi alios allegat. Ratio est, quia de ratione legis & præcepti est, inducere obligationem.

Resp. Prædictam legem non obligare sub peccato. Ita ex communi Laym. L. 1. Tr. 4. c. 15. n. 1. & 2. Ratio est, quia potest Magistratus



stratus pro suo arbitrio præcipere aliquid non absolute, sed solum sub hypothesis, ut, si non fiat, pœnâ luatur; sicuti potest quis se obstringere voto purè pœnali, v. g. si luserit, daturum se eleemosynam; In proposito autem Magistratum sic legem tulisse præsumi rationabiliter potest, tum ex verbis legis, tum ex pœnæ gravitate respectu talis transgressionis; tum ex communi prudentum interpretatione.

Ad rationem in oppositum dicimus, de ratione legis esse, inducere obligationem saltem ad pœnam subeundam propter eius transgressionem, & culpam saltem civilem, si à Iudice imponatur; ante hanc enim Iudicis sententiam neque ad illam pœnam aliquis tenetur, ut rectè Palao Tr. 3. D. 2. p. 2. n. 8. post plures alios, quos refert.

XLIX. *Malachias Sacerdos ex Sacro aliquo Ordine mendicantium malè valet, ita quidem, ut extra cellam suam exportari aliò non possit, desiderat tamen vehementer dicere Sacrum, ideoque altare portatile erigi in cellâ suâ sibi à superioribus postulat. Queritur, An Superiores hoc ipsi concedere possint?*

Videtur, quod non possint; quia privilegium aliquibus Ordinibus olim concessum fuit Trident. Concil. sess. 22. c. de evitand. in celebr. Miss. ubi Barbosa num. 19. plures AA. pro hoc allegat. Confirmatur. Patres Societatis IESV non videntur agnoscere hoc privilegium,



legium, quo tamen per communicationem æquè gauderent.

Resp. Superiores posse concedere Malachiaæ altare portatile in cellâ suâ. Prob. Tum quia Tridentinum non sustulit priuilegium mendicantibus, sed tantùm concessit Episcopis facultatem prohibendi, vt volunt Card. de Lugo. *de Euch. D. 20. num. 51. Dian 3. P. Tr. 2. Resol 80.* & plures alij apud Barbosam *loc. cit.* Imò Lezana, Perinus, Rodriq. & alij, quos refert & sequitur Dicastillo *Tom. 5. de sacram. D. 4. n. 104.* putant, Episcopos prohibere etiam non posse, quia hoc tantùm ipsis conceditur in priuatis domibus, quales non sunt cellæ Religiosorum, vtpote iam aliquid ad Ecclesiam pertinens. Tum quia Lugo *loc. cit.* affert priuilegium novum Regularibus S. Saluatoris post Trident. concessum, vt in proprijs cellis celebrare possint. Ergo Ordo Malachiaæ hoc eodem etiam gaudet per communicationem, quam habet.

Atque ex his patet ad fundamentum contrariæ opinionis Ad confirmationē dicimus, penes Societatem IESV ac Adm R. P. Generalem huius æquè esse potestatem erigendi aras portatiles in cubilibus; hanc tamen per se antehac non habuisse superiores infra Generalem. Ratio primæ partis patet ex dictis, quia prædicta Societas per communicationem habet omnia priuilegia, quibus gaudent alij



alij Sacri Ordines. Ergo & hoc, erigendi altare portatile in cubili. Ratio secundæ partis est, quia hæc potestas nominatim antehac non fuit expressa in compendio priuilegiorum Societatis Iesu; extra hoc autem per se, & absque licentia Adm. R. P. Generalis non licet vlli ex illa Societate quocunque aliorum Sacrorum Ordinum priuilegio vti, vt notatur *ibid.* V. *Communicatio in fine.* Et respondit istud anno 1636 R. P. Mutius Vitelleschus Generalis Provinciæ inferioris Rheni, qui tamen postea anno 1643 reservationem illam erigendi altaris absque Præpositi Generalis facultate sustulit, vt patet in Additionibus ad Compendium Priuilegiorum Societatis Romæ eo anno missis; vnde si prædictum Compendium Priuilegiorum denuo recudetur, illud quoque Priuilegium addetur publicis typis.

L. Maurilius Chirographum ac jus habet ad 1000 florenos à Principe suo exigendos, quos tamen sæpè petitos obtinere non potest; vendit igitur jus illud suum Maurino eiusdem Principis Officiali 700 florenis, quod ob favorem, quem habet in oculis Principis, facile & breui totius debiti solutionem consequitur. *Queritur. An licite fieri hoc possit?*

Videtur non posse. Ita nonnulli apud Salas de vendit. dub. 40. quia ratio minoris emendi Chirographa talia est sola difficultas & labor in acquirendo debito. Ergo vbi hæc



difficultas cessat, cessat etiam ratio sic emendi.

Resp. I. Maurinum, si sit quidem Officialis Principis, non autem Quæstor, posse minoris emere Chirographum Maurilij. Ita Molin. D. 361. Less. L. 2. c. 21. n. 74 Laym. Tr. 4. c. 17. §. 5. n. 53. & plerique alij. Ratio est, quia debita illa ob incertitudinem & difficultatem ex communi hominum æstimatione minùs valent venditori. Ergo sicut quilibet alius, ita etiam Maurinus Officialis emere ea potest detrahendo, quanti ea difficultas & incertitudo æstimatur; ex favore enim, quæ habet apud Principem, nõ debet esse deterioris conditionis, dummodo ipse non sit causa difficilis solutionis. Vnde Resp. II. Maurinum posse minoris emere debitum illud, etiam si sit Quæstor Principis, modò difficultas soluendi penes ipsum non stet; secus, non potest emere, vt docet Molina, Salas, Bonac, de contract. D. 3. q. 3. pun. 10. n. 7. Filiuc. Tr. 35. n. 107. & alij, qui rectè aiunt, grauius sabinde peccari à Quæstoribus Principum, quando scilicet ipsi sunt in causa difficilis solutionis. Resp. III. An in præsentì Maurinus de 1000. florenis iustè 300. aut etiam plures vel pauciores detrahat, pendere ex communi hominum æstimatione difficultatis, & laboris in exigendo debito, ad quam regulam tam in hoc, quàm similibus casibus diligenter attendi oportet; quidquid enim  
per



per excessum huic regulæ conforme non est, ex communi Theolog. iniquum & restitutioni obnoxium est.

Ad rationem in oppositum dicimus, difficultatem & incertitudinem cessare quidem respectu emptoris, non autem respectu venditoris, ex quâ parte pretium diminutionem accipit, vt rectè aduertit post alios Palao de *Iustit. Disp. 5. p. 13. n. 8.*

LI. *Marcellus dono accepit torquem aureum à Marcellino, qui eum bonâ fide aliquot annis possedit, ipse autem nunc dubitat, an sit alienus. Quæritur. Vtrum Marcellus cum hoc dubio possit incipere præscriptionem?*

Videtur non posse. Quia ex communi Theologia ad inchoandam præscriptionem requiritur bona fides, nec sufficit dubia.

Resp. Marcellum cum prædicto dubio posse inchoare præscriptionem, & tandem torquē securè & indubitatè sibi retinere, si nimitū post tempus à iure præscriptum, & diligentem inquisitionem comperire non possit, num sit alienus. Ita Card. de Lugo de *Iust. D. 7. n. 64.* allegans S. Thom. Molin. & Sanchez. Ratio est, quia Marcellinus potuisset inchoare præscriptionē, si eius bonæ fidei dubiū supervenisset, eò quod ratione dictæ bonæ fidei ius acquisierit ad torquem retinendum etiam superveniente dubio. Ergo Marcellus quoque iam potest; quia iste in toto iure succedit illi, adeoque etiam in bonâ fide. Ergo habet to-



tum, quod ad præscribendum requiritur.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum; nam ad inchoandam præscriptionem non necessariò requiritur bona fides quasi intrinsecè, sed sufficit aliena extrinsecè adueniens, qualem à Marcellino Authore habet in proposito Marcellus eius successor.

LII. *Megengor Comes venando egreditur subinde limitibus suis, capitque feras in locis Comiti Bauoni eius vicino subiectis, nullâ tamen sepe clausis. Queritur. Vtrum peccet, teneaturque ad restitutionem?*

Videtur peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. Ita Bonac. D. I. de restit. in genere. q. 3. p. 7. n. 22. Molinam, Filliuc. Sa, & alios citans. Mouetur, quia peccat contra Iustitiam, & lædit Ius Bauonis, quod habet in locis istis. Sed qui peccat contra Iustitiam in re graui, qualis est præfens, peccat mortaliter, teneaturque ad restitutionem damni, quod patitur is, ad quem ius venandi pertinet, non quidem habitâ ratione valoris animalium, sed damni vel lucri cessantis.

Resp. Megengorem non peccare saltem mortaliter, nec teneri ad restitutionem. Ita Dicastillo L. 2. de Iust. D. 9. n. 308. post Valq. Turrian. & alios. Ratio est, quia Bauo non habet ius ad rem circa illa animalia, quæ iure gentium sunt comûnia; titulus autem, quem ad districtum illum habet, solùm ipsi concedit



dit ius ad licitè & impunè capienda animalia in eo, & arcendos ab eodem alios venatores; imò & puniendos, si fuerint deprehensi.

Vnde patet ad rationem in oppositum; totum enim ius, quod habet Bauo, illæsum relinquit Megengor, impediens solùm consecutionem ferarum à se captarum, ad quas Bauo ius non habet, antequam illas apprehendat, quæ impeditio culpam venialem non excedit. Adde nec venialem culpam committi; cùm enim passim sciatur, alterum in alterius venationis locum excurrere, videntur Domini vicissim condonare hanc laesionem, contenti mulctâ certâ, si quis, in factò deprehendatur.

LIII. *Meletius Parochus à Iudice interrogatus, an reum talium & talium criminum teneatur condemnare? respondet teneri, quem igitur morti addictum comitans suggerit ministris Iustitiæ breviorẽ viam, & eosdem subinde in via ad celeriorẽ gressum hortatur. Idem in loco supplicij reo acclamat, vt scalam ascendat, collum laqueo ingerat, & morti subeundæ se tradat, quem deinde iam pendulum adhuc vivere cernens abcedenti id indicat carnifici, qui denuo collum sine comprimit, donec spiritum elidat. Queritur. Virũ Meletius ex his sit irregularis?*

Videtur esse, tum ex defectu lenitatis iuxta cap. 3. ne clerici & alia iura, tum quia ex communi sententia irregularitatem incurrit præ-



bens Iudici consilium, quo moveatur ad sententiam proferendam in causa sanguinis. Ergo etiam Meletius eandem contrahit, cum illius sententia mouerit Iudicem ad reum cōdemnandum.

Resp. Meletium ex omnibus enarratis, quæ circa reum fecit, non esse irregularem. Ita Gaspar. Hurtado *de irregul. Difficult. li. n. 36.* ubi ait, sibi interroganti hoc responsum esse à P. Vasquezio. Ratio est, quia *in predicto Cap. & alijs iuribus*, ubi mentio fit huius irregularitatis, comprehenduntur ij solum, qui ad homicidium aut mutilationem concurrūt, vel ut publici ministri Iustitiæ sive ad causæ probationem, sive ad executionem: vel ut priuati iniustè & cum peccato, nullo autem horum modorum concurrit Meletius, qui proinde irregularis censerī non potest.

Ad primum in contrarium patet ex dictis. Ad secundum distinguimus anteced. cum Palao *de Cens. s. 6. p. 14. §. 3. num. 7.* Si iuridicè fuerit interrogatus, concedimus: si priuatim solum, negamus. Meletius autem non respondit iuridicè, cum tali authoritate non fungatur, sed priuatim, Iudicem tanquam quamlibet aliam personam informās velut eiusdem Cōfessarius. De quo circa præsentem materiam duo ad praxin notabilia irradunt Henriquez *L. 14. cap. 12. n. 4.* Auila *Part. 7. D. 5. dub. 6.* Bonacina *de Censuris D. 7. q. 4. pun. 1.*



*Selectorum Casuum Conscientie.* 21

n. 32. & plures ab his relati, ex quibus non parum nostra doctrina confirmatur.

*Primum.* Confessarium non fore irregularem, si neget Iudici absolutionem, nisi sententiam sanguinis proferat, ad quam in conscientia tenetur. Tum quia non procedit, ut publicus Iustitiæ Minister. Tum quia credendum non est, velle Ecclesiam tam graui, & de se perpetuâ pœnâ Confessarium punire ob actionem iure diuino debitam, & quam ipse excusare non potuit. *Alterum.* Eundem Confessarium ab irregularitate immunem futurum, si obliget pœnitentem ad fatendum delictum morte, vel mutilatione dignum, ad cuius manifestationem iure naturali tenetur. Tum quia eo casu non concurrit ad mortem ex parte Iudicis inferentis, sed ex parte sustinentis; ac proinde ab irregularitate ministeria publicis iniuncta excusari debet. Tum quia opus obligatorium præstat, ob cuius causam nullo impedimento affici ipsum oportet.

LIV. *Musculus in Italia ob crimen publicum infamis fugit in Poloniam, vbi honestus habetur, & ob ingenium scientiis excultum honorato etiam officio extollitur. Sed breui illuc defertur Fuscus, qui inopinatè conciuem suum conspiciens crimen eius publicum in Italia commissum diuersis narrat, omniq̃ue illum honore apud Polonos exiit. Queritur. An Fuscus crimen Musculi publicum narrando alijs, ad quos aliàs vix vnquam fuisset deueniendum, peccarit mortaliter?* Vi



Videtur ita peccâsse. Tum quia fama Musculi ( utpote diuisibilis, & ex opinione plurium ) non erat amissa apud Polonos. Tum quia amissam etiam in Italia recuperavit in Polonia emendatione morum, sicuti vestis reparari solet abiecta. Tum quia absque rationabili causâ læditur in re graui saltem contra Charitatem, vt docent Less. L. 2. de Iust. c. 11, n. 78. Malder. Sayr. & plures alij Theologi apud Dianam P. 2. Tr. 5. Miscell. Res. 17.

Resp Fusculum notorium Musculi crimen siue facti siue juris detegendo nec contra Iustitiam, nec probabiliter contra Charitatem peccâsse mortaliter. Ita Facundez de præcept. Ecclesie præcepto 2. L. 5. cap. 3. num. 14. Lugo de Iust. D. 14. s. 6. n. 80. & apud hunc alij. Ratio est, quia Musculus sponte abiicit famam publico scelere; & boni communis interest, narrari, & sciri publicos aliquorum defectus, vt singuli pro merito honorentur, & simul à similibus delictis absterreantur. Atque hoc verum est, etiamsi scelus Musculi iniuste publicum euasisset; non autem si falsâ fuisset eidem impositum, quia positâ publicatione & vero crimine acquiritur alijs ius loquendi de eo: non verò si hoc crimen non subsit, tunc enim Musculus non potuit amittere ius ad famam suam per publicationem meram, vt rectè Lugo loc. cit.

Ex his satis patet ad rationes in contrarium allatas:



allatas; quarū tamē vltima est cæteris effica-  
cior, & rem non leuiter persuadet, saltem  
quando aperta boni communis ratio talem  
manifestationem non postulat; hinc in re-  
spōsione signanter addidimus, solūm proba-  
bile esse, Fusculum non peccare contra chari-  
tatem notorium Musculi crimen aperiendo,  
vt contrariam Lessij sententiam non tantūm  
magis piam & tutiorem, sed vero etiam simi-  
liorem indicaremus. Cæterūm insistendo po-  
sitis fundamentis tam ex autoritate quā  
ex ratione adducta saltem probabilibus, in-  
stantia de veste nihil facit ad rem, quia vestis  
potest iterum esse aliquando in manu mea:  
fama autem est in mentibus aliorum, qui ha-  
bent ius loquendi de notis publicè. Vnde  
etiam rectè concedit Rebell. P. 1. L. 4. q. 4.  
n. 10. posse absque graui peccato spargi ad ali-  
os conuentus eiusdem Religionis ac Prouin-  
ciæ, si quis publicè in vno conuentu fuisset  
punitus pro infami delicto, cūm plures vnus  
Prouinciæ censeantur constituere vnā spiri-  
tualem Rempubl. cuius etiam refert, sciri  
publicos defectus, vt virtus inde magis ho-  
noretur, vitium autem odio reddatur.

L.V. Mutius ob patratum homicidium solli-  
citus, ne innotescat, interrogat Confessarium su-  
um, num in carcerem fortè coniectus, & de eo le-  
gitimè à Iudice post semiplenam probationem in-  
terrogatus, teneatur in conscientia fateri illud,  
quamdiu



quamdiu spes aliqua euadendi affulget? *Quæritur.*  
*Quid dicat Confessarius?*

Videtur dicendum, Mutium teneri crimen suum fateri Iudici. Ita planè communis sententia Theolog. cum S. Thoma 22. q. 69. art. 1. è quibus nonnulli contrariam opinionem grauiùs etiam censent. Tum quia Iudex potestatem habet obligandi reum ad aperendam veritatem. Tum quia non potest dari bellum vtrinque iustum. Ergo cum Iudex ex vna parte iustè interroget reum, hoc ipso præcipit reo, vt veritatem prodat.

Resp. Confessarium dicere posse Mutio, ipsum præuiâ infamiâ, & semiplenâ probatione legitimè à Iudice interrogatum negare tamen posse crimen, quamdiu spes est effugiendi. Ita Abbas in C. cum super. de confessis. Syluest. Angelus, P. Nauarr. Filliuc. Fagundes, Reginald. Dicastillo de Iust. L. 2. Tr. 1. D. 6. n. 21. Lugo de Iust. D. 40. n. 15. & plures apud hos. Ratio est, quia maximum ius est ad propriam vitam & bona temporalia defendenda. Less. L. 2. de Iust. c. 31. n. 16. Sa. V. Reus 6. Bonac. D. 10. in oct. præcept. q. 3. p. 2. n. 7. alij. Quare lex humana non videtur posse obligare tanto cum incommodo. Confirmatur. Consanguineus non potest cogi ad testandum contra consanguineum L. 4. ff. de testib. nec quisquam cogi potest ad testandum cum graui suo incommodo. Ergo à fortiori nullus



Ius videtur cogendus ad testandum contra se ipsum, cum nullus magis sit consanguineus, quam quisque sibi ipsi. *Vnde sequitur,* reum nec teneri compatere etiam citatum, quando immineret periculum vitæ, bonorum temporalium &c.

Ad *primum* in contrarium dicimus, Iudicem habere potestatem obligandi reum ad aperiendam veritatem, quando non est periculum tanti damni, aut res plenè est probata, & nullum superest effugium. Item habet potestatem obligandi non quidem ad culpam, sed ad torturam, ut scilicet reus fateatur crimen suum, si nolit experiri tormenta. Ad *secundum* dicimus, Iudicem in proposito iuste quidem interrogare, sed non iuste obligare ad aperiendam veritatem, quia illud iure potest, non istud; ex quo patet, non sequi, posse esse bellum ex utraque parte iustum, quia non est contrarietas circa idem ius. Censuras graviores, quas immeritò aliqui effutièrunt, vanas & contemptibiles ostendunt tum *Authoritas*, tum ratio allata sententiæ nostræ.

*LVI. Narcissus puerulus in lethalem incidit morbum, qui cum confirmatus nondum sit, petit parens ab Episcopo, qui confirmandi causâ illuc advenerat, ut moribundo etiam hoc Sacramentum conferre velit, quod & ab eodem impetrat. Quaeritur. Vtrum licitè hoc Episcopus fecerit?*

Videtur non bene fecisse. Tum quia ex usu  
Ecclesiæ



Ecclesiæ habetur, infantes non confirmari. Tum quia in moribundo cessat finis confirmationis, qui est roborari ad pugnam contra fidei hostes; unde etiam videmus, adultos non confirmari in articulo mortis, si eoque distulerint.

Resp. Narcissum laudabiliter fuisse confirmatum, Ita habet communis Theolog. Tum quia absolutè est capax & dignus, adeoque eo fructu non priuandus. Tum quia ex Catechismo Rom. licitè confirmatur vniversim infantes, quamvis convenientius expectetur maior ætas, si per valetudinem expectari possit.

*Ad primum in contrarium dicimus, ex vsu Ecclesiæ non constare, quod infantes in articulo mortis non confirmantur, sed tantum, quod rarò hoc contingat propter raram occasionem. Ad secundum, per accidens esse hoc. Quoad adultos, optandum esset, vt & ipsi in articulo mortis confirmari se curarent; nam hoc Sacramentum, si obeant, prodelle eis potest ad maiorem gratiam & gloriam, & ad tentationes illius angustiae superandas, ad quod quamuis instituta sit extrema vnctio, tamen vnita virtus fortior, vt rectè Sanch *select. D. 40. n. 4.* Quod si tamen omittant, non peccant mortaliter, vt contra Adrianum communis habet Theologorum sententia, quia nec ex script. nec ex traditione, nec sine, aut*  
institui-



in institutione Sacramenti præceptum tale colligitur. Et Canones, qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse.

LVII. *Nemefius sponsalia contraxit cum Nemefiâ, sed inde desiderio Neomisiæ captus cum hac inscia priorum etiam contraxit sponsalia, datamq; sponsonem iuramento confirmat, & eidem copulam superaddit. Queritur. Quenam ex his sponsalibus valeant? Et si ex hypothese priora valeant, eaque dein ob aliam causam ex mutuo vtriusque consensu dissoluantur, num hoc ipso posteriora valere incipiant, usque stare debeat Nemefius?*

Videntur posteriora valere. Ita Pontius L. 12. c. 14. n. 4. Rebellus, Coninck, Palao D. 1. de spons. pun. 22. n. 6. & post alios Dian. P. 3. Tr. 4. Res. 210. Mouentur, quia quando duo contendunt, vnus eorum de lucro, alter de damno vitando, fauendum potius huic. Sed secunda fœmina passa est damnum, prior verò solùm de lucro agit. Ergo &c.

Resp. Priora sponsalia valere. Ita Sanchez. Tom 1. de Matr. L. 1. D. 49. n. 5. Henriquez L. 11. de Matr. cap. 56. Hurtadus Disp. 2. Difficult. 8. n. 30. & alij. Tum quia Nemefius ad sponsalia posteriora non tenetur ratione promissionis etiam iuratæ, cum sit nulla vt relata ad tempus juris alterius; est quippe rei illicitæ præsuppositis prioribus sponsalibus: neque ratione damni illati posteriori Sponsæ, quia  
G huic



huic damno fieri satis potest cōstitutione dotis, aut aliâ viâ. Tum quia iniuria illata posteriori non aufert ius priori sponsæ per priora sponsalia acquisitum.

*Vnde ad rationem in contrarium negatur Min. cūm secunda fœmina non tantūm quærat lucrum, sed ius suum, & huic insistat; Ex quo etiam non placet, quod addit Sanchez, nim. si damnum, quod passâ est secunda fœmina, aded sit graue, tunc Nemesium posse à Iudice cogi, vt hanc ducat; sic enim priora sponsalia non habuissent valorem absolutum, & independentem ab alio. Quod si ergo ex quocunque casu priora sponsalia iterum dissoluantur, non incipient inde valere posteriora, cūm enim hæc nunquàm fuerint valida, non poterunt ex alieno casu reualescere, vt bene Sanchez D. 55. n. 6 Pontius, Coninck, & alij contra Couarr. p. 1 de Matr. cap. 4. §. 1. n. 10. Rebellum & nonnullos. Ait Palao loc. cit. si equum liberaliter promisisti Petro, & deinde vendis Paulo pretio accepto, huic tradere illum debes. Ergo &c. Negari potest antec. nisi traditio sit secuta. Ad hæc disparitas est, quod posterior contractus valeat, idque ex juris dispositione. Argum. L. quoties Cod. de rei vind. quod secus est in nostro casu.*

LVIII. *Nicetas studiosus egregiam præ se fert indolem, magnūmque in pietate & litteris facit progressum, quocirca Odilo Abbas eius in Monasterium*



monasterium suum trahendi cupidus, varijs illius animi munusculis demereri studet, & quia Nicetas pauperes habet parentes, promittit insuper hos alere, & ipsum adhuc biennio in studijs conseruare, si modo postea Religionem & monasterium suum ingredi velit, quod & obtinet apud Nicetam. *Queritur. An Odilo Abbas non committat Simoniam, sic Nicetam ad Religionem ducendo?*

Videtur committere Simoniam. Tum ex C. 2. caus. 1. q. 2. dicente: *nusquam legimus Domini discipulos, vel eorum ministerio conuersos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu provocasse.* Tum quia pactum in rebus spiritualibus est Simoniacum, vt communiter docent Theologi. Atqui hinc interuenit pactum. Ergo est Simoniacum.

Resp. Odilonem nullam committere Simoniam. Ita Tanner. *Tom. 3. D. 1. q. 157.* Bonac. *de Simon. D. 1. q. 8. §. 3. n. 1. & 3.* & alij Theol. post S. Thom. 22. q. 189. *art. 3. in C.* Ratio est, quia hæc non sunt pacta, sed illecebramenta: Nec obligant absolutè, sed cum liberâ conditione, si velit Nicetas hoc commodo potiri: aut disjunctim, vt ingrediatur, vel sumptus refundat.

Ad primam rationem in oppositum dicimus, citatum C. loqui de munere in pactum deducto, & quidem per modum pretij, vt constat ex casu Capituli per Panormitanum exposito; petebatur enim Abbas ex vno monasterio



nasterio in alterum transferendus, quem sui nolebant dimittere sine pacto compensationis. Ad secundam distinguimus. Pactum animo pretij factum est Simoniacum, conceditur: Negatur verò, si absit talis animus, ut accidit in proposito. Vnde patet, non omne pactum esse Simoniacum, sed solum animo pretij initum, ut rectè citati advertunt.

LIX. *Nymphodora virginitatem vovit Deo, sed post aliquod tempus dubitat, an perpetuam Castitatem promiserit: an solum continentiam a primo actu venereo. Queritur. Ad quid porro teneatur?*

Videtur teneri ad perpetuam castitatem. Ita multi, quos refert & sequitur Palao *de voto*. D. 1. pun 12. n. 7. quia scilicet Virginitatem vovens censetur castitatem promittere, nisi aliud ex intentione certò constet: nec in dubio aliud est præsumendum.

Resp. Probabile esse, Nymphodoram non obligari ad perpetuam Castitatem. Ita Portel. & Vidal. apud Dian. P. 10. Tr. 16. Resp. 47. Ratio est. Tum quia verba legum propriè sunt accipienda, ut docetur *de LL*. Cùm ergò votum lex quædam partialis sit, & Virgo propriè illam duntaxat significet, quæ *carnis integritatem* non amisit, vovens Virginitatem ad hanc solum carnis integritatem se obstrinxisse censenda est. Tum quia ex communi Theolog. qui certus est de voto, dubius autem, an & quid comprehendatur



eo voto, non tenetur ad eam partem, de quâ dubitat. Cùm ergo Nymphodora certa sit de voto Virginitatis, dubitet autem de perpetuâ castitate, si hoc dubium ante lapsum illi incidisset, ita secum statuere potuisset: Si, quod Deus avertat, Virginitatem meam deperderem, vi huius dubij non tenerer ad perpetuam castitatem. Ergo etiam iam post deperditam Virginitatem potest similiter secum statuere & iudicare. Atque ex his patet ad rationem in oppositum.

LX. *Olaus acatholicus tum ex conuersatione cum orthodoxis, tum ex lectione libellorum contraversificorum eò deuenit, vt Catholica fides magis ei probabilis videatur, quàm sua, & tamen in sectâ suâ perstat. Queritur. Vtrum rectè?*

Videtur malè hoc facere. Ita Bannez 2. 2. q. 10. art. 1. d. 3. conclus. 3. & 4. Ledesma, alij. Quia in medio ad salutem necessario oportet nos viam ingredi securiorem, ne pereûdi periculo exponamur, id quod maximè vrget in articulo mortis, vbi tempus rem examinandi nullum superest, vt censet Thom. Sanchez. L. 2. in Detal. c. 1. n. 6. Confirmatur. Quia licere cuilibet sequi probabilem relictâ probabiliore, non est intelligendum de opinione probabili facti, sed juris, vt contingit, cum hominem à longè conspicias probabiliter feram esse ratus; licet enim æquè probabile sit, feram esse, ac hominem, non ta-



men probabile est, posse te sagittam in illam emittere; siquidem prior probabilitas est facti, non juris. Ita in proposito casu, etsi probabilius sit, propositam tibi fidem esse meliorem, probabile tamen haud est, posse te adhuc sectæ adherere tuæ, & fidem respuere.

Resp. Olaus benefacere, & tam in articulo mortis, quàm extra hunc non teneti ad amplectendam fidem, donec euidenter credibilitas huius ostendatur. Ita Palao Tr. 4. D. 7. pun. 12. n. 13. & apud hunc alij. Ratio est, quia nisi Olaus de falsitate erroris sui, & veritate fidei Catholicæ amplectendæ conuincatur, non tenetur credere, sed tantùm potest credere; ad inducendam enim obligationem assentiendi fidei Catholicæ oportet Olaus ita cognoscere eam creditu dignam esse, vt secta contraria penitus creditu indigna appareat, aliàs deserere hanc non tenebitur; & consequenter nec fidei Cathol. se adiungere. Vnde pulchrè S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. sic ait: *ea, quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Vno modo in speciali (siue secundum propriam materiam) & sic non possunt simul esse visa & credita. Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, & sic sunt visa (seu euidenter cognita) ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi. Quæ verba S. Doctoris planè vim*

vim



vim habent generalis dogmatis, nullum scilicet credere saltem teneri sine euidencia credibilitatis; qualem euidentiam non habet Olaus, dum præcisè iudicat nostram Religionem suâ sectâ esse probabiliorem, cum, ut sic, adhuc intra merissimam probabilitatem hæreat. Quare P. Adamus Tanner *Tom. 3. D. 1. q. 2. dub. 2. assert. 3.* iure merito affirmat, hanc resolutionem nostram esse expressam doctrinam Angelici Doctoris, testaturque, eam tenere comuniter Discipulos S. Thomæ.

Ad rationem in contrarium dicimus, sufficere nos viam eligere probabilem ad salutem, cum in magis etiam probabili error latere possit, ut proinde argumentum hoc nec in articulo mortis urgeat.

Ad confirmationem fatemur, ex probabilitate facti frequenter non sequi probabilitatem iuris, tunc scilicet quando probabilitas iuris in probabilitate facti non fundatur, uti fit in casu allato: secus, quando probabilitas iuris fundatur in probabilitate facti, sicuti accidit in exemplo. Est mihi probabile, pallium, quod possideo, esse meum; probabilius tamen iudico, esse tuum; in hoc casu non teneor relinquere tibi, sed possidere securè possum. Ita in præsentis probabile est Olao, veram esse suam religionem, licet oppositum sit probabilius; non igitur obligari videtur ad errorem deserendum. Quod verò in articulo mortis



non suppetat amplius tempus, hoc non inducit obligationem deserendi securam viam, & amplectendi securiorem. Interim Olaus, si vita ipsi prorogatur, inquirere ulterius, & à Deo lumen petere tenetur, quo credibilitatem fidei Catholicæ euidenter cognoscat; quod si negligat, peccat contra fidem, cum non adhibeat media ad implendū fidei præceptum, vt post Suarez & alios rectè notat Coninck, D. 14. de fide. n. 213. & 230.

LXI. *Opilius rusticus 60. iam annorum apprehenditur in confessionali nescire prorsus Mysteriorum SS. Trinitatis, & Incarnationis. Queritur. An ideo peccarit mortaliter? & quid cum eo faciat Confessarius, si præsertim Opilius adeò rudis sit, vt post laboriosam instructionem mysteria illa nec capere possit?*

Videtur peccasse mortaliter, & non absolvendus, antequàm prædicta mysteria addiscat. Tum quia ex communi Theolog. omnes Christiani tenentur credere necessitate præcepti omnes articulos, qui in vulgato Apostolorum symbolo continentur saltem quoad substantiam. Tum quia explicita fides in Christum iuxta multos AA. post Evangelium sufficienter promulgatum in adultis necessaria est necessitate mediæ ad gratiam & gloriam obtinendam.

Resp. Opiliū non peccasse, & absolvi posse ab alijs peccatis absq; repetitione præteritarū

con-



Confessionum, Ita Azor. Tom. 1. L. 8. cap. 6. q. 6.  
Tann. 22. D. 1. Q. 7. dub 2. n. 49 Syluius in 22.  
q. 2. art. 8. conclus. 8. & alij. Prob. Tum quia  
Opilius, vt ponimus, inculpabilem habuit  
ignorantiam illorum Mysteriorum, vel quod  
nulla illi vnquam venerit dubitatio de obli-  
gatione, vel maximè quod ob hebetudinem  
ingenij capere ea non potuerit. Tum quia  
etiam post Evangelium sufficienter promul-  
gatum non requiritur *explicita* fides in Chri-  
stum & SS. Trinitatem, sed sufficit *implicita*,  
vt præter citatos docent plures alij, cū neque  
ex Scripturâ, neque ex Patribus, neque ex  
Concil. evinci plus possit, vt rectè advertit  
Card. Sfortia Pallauicinus L. 1. de Fide. n. 178.  
Atqui Opilius sufficiēter habet hanc implicitâ  
fidem, credendo explicitè DEVM esse, &  
providere omnibus. Ergo &c. Cæterum la-  
borandum Confessario, vt Opilius quo po-  
test modo alia etiam mysteria in Symbolo ca-  
piat, præsertim clariora, v. g. de Christo nato  
ex Virgine, passo, cruci affixo, vt rectè Azor,  
*loc. cit.*

Ad primum in contrarium dicimus, Chri-  
stianosteneri necessitate præcepti credere, &  
peccare non credendo, nisi invincibili igno-  
rantia laborent, quâ ipsos à peccato excusari  
tradit ex communi Palao Tr. 2. D. 1. pun 15. n.  
6. qualem inculpatam ignorantiam ponimus  
in Opilio esse, vtpote qui solùm novit, Deum



esse, & providentiam habere tum in hac, tum in altera vita; & cum nulla penitus cogitatio animum subeat de ulteriori indagatione veritatis Catholicæ facienda, ideo non delinquit eam omittendo iuxta ea, quæ dicemus infra casu 97. Ad secundum patet ex dictis, scilicet de necessitate mediij non esse, explicitè credere, Christum, Dominum esse verum DEVM ac hominem, nostrumque Salvatorem, cum tanta fidei expressæ necessitas nullo nitatur firmo fundamento, & argumenta, quæ in contrarium afferuntur, commodè accipi possint vel de fide implicita, vel de necessitate præcepti.

LXII. *Orbilus opifex Catholicus famulos habet opificij sui valde peritos, sedulos, & fideles, sed quia hæretici sunt, carnes in quadragesimâ apponi sibi volunt, aliàs discessuri, quos tamen Orbilus absque iactura graui rei suæ familiaris dimittere nequit, cum nec ipse laboribus sufficiat; nec alios habeat, quos substituatur. Queritur. Vtrum carnes apponere eis possit?*

Videtur non posse. Ita Layman L. 2. Tr. 3. c. 13. n. 5. Quia cooperatio hæc nimis propinqua est, & absque ea peccatum non fieret.

Resp. Orbilium (per se loquendo, si absit scandalum & periculum alicuius maioris mali) non improbabiler posse famulis hæreticis diebus prohibitis apponere carnes. Ratio est. Tum quia ex communi Theologia id fieri



ri potest, si grauis necessitas vrgeat. Sed in proposito vrget talis, nim. iactura rei familiaris. Tum quia hoc non est formaliter cooperari ad peccatum, sed solùm permittere ad cauendam iacturam honestæ sustentationis, Tum quia in aliquibus vrbibus, vbi Catholici mixti hæreticis vivunt, id passim fit. Ergo ob vrgentem causam etiã in alijs fieri potest.

Ad rationem in contrarium dicimus, ex ea oppositam sententiam solùm valde probabilem constitui, non autem nostram responsionem improbabilitatis convinci; cùm absolute cooperatio hæc tantùm sit materialis.

LXIII. *Orentius rem habuit cum sorore suâ, quod flagitium confitetur cum omnibus circumstantijs, cùm sciret, sororem non ignotam esse Confessario. Queritur. Vtrum licitè id fecerit?*

Videtur minimè licitè id eum fecisse, cùm grauiter infamârit complicem absque iustâ causâ.

Resp. I. Si præter infamiam nullum aliud damnum complici fuit illatum, non peccasse Orentium mortaliter, eum reuelando. Ita Caietan, 1. 2. q. 63. art. 2. d. 1. l. 5. d. 2. præcept. Eccl. c. n. 3. & plures alij, quos refert & sequitur Diana P. 2. Tr. 17. R. 22. & P. 6. Tr. 7. R. 9. quia reuelare crimen complicitis Confessario, perinde est, ac si nulli reuelaretur, cùm absit periculum divulgationis. Resp. II. Orentium potuisse, imò & debuisse reuelare complicem.



cem, si nec aliter peccatum suum explicare, nec alium Confessarium habere potuerit. Ita Card. de Lugo *de Pœnit.* D. 16. num. 394. Dicastillo *de Pœnit.* D. 9. n. 893. & plurimi apud hos relati. Quia causa, cur Trident. *sess.* 14. c. 5. præceptam dixerit confessionem integrâ, *viscilicet Sacerdos possit prudenter iudicare, punire, curare &c.* hæc inquam, causa probat etiam declaranda esse peccata cum notitiâ complicitis. Resp. III. Probabile esse, Orentium propter solam consolationem animi, & bonum spirituale ex integrâ confessione apud talem Confessarium factâ potuisse huic confiteri, etiamsi aliû habere potuisset, Ita Tamburinus *de exped. conf.* L. 2. c. 9. §. 2. quem citat & sequi videtur Busenbaum L. 6. Tr. 4. c. 1. d. 3. art. 2. *in fine.* Ratio est, tum quia complex non censetur rationabiliter inuitus, si reueletur intam secreto foro idè, vt seruetur præceptum Christi, & percipiantur solidi fructus spirituales ex integritate confessionis. Tum quia praxis piorum ac doctorum Confessoriorum hoc docet, dum non reprehendunt pœnitentes, si ex tali causa complicitis mentionem faciant. Tum quia ex mente Fagund. *in præcept.* 2. Eccl. L. 5. c. 1. n. 3. intali casu non est præceptum, sed consilium tantûm, vt pœnitens alium Confessarium quærat. *Atque ex his patet ad rationem in contrarium.*

LXIV. Pamphilus saepe cibo & potu implet se



*se vsque ad vomitum, & hunc ideo subinde procurat, vt iteratò comedere & bibere possit. Queritur. Vtrum peccet mortaliter?*

Videtur ita peccare Angelo, Sa, Escobar Tr. 2. Ex 2. num. 23 & alijs, quia contra naturam magna in eo deformitas apparet.

Respond. Non peccare Pamphilum mortaliter, secluso scandalo & alijs. Ita Navarr, Tolet. Henriq. in compend. Casuum moral. c. 19. n. 9. Dian. P. 5. Tr. 13. Res. 4. & alij. Ratio est, quia non est tanta inordinatio contra naturam, vt sibi imaginantur adversarij: nec per se inde graue corpori incommodum infertur, vnde etiam Layman L. 3. §. 4. n. 2. non audet hoc peccati mortalis damnare. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

LXV. *Parmenas ex legitimâ causâ petit & impetrat dispensationem comedendi carnes diebus ieiunij, quâ ille facultate ita vititur, vt bis per diem yldem carnibus vescatur. Queritur. An licitè?*

Videtur non licitè id facere. Ita Ioan. Medina Cod. 4. de ieiun. q. 5. & 9. & alij. Tum quia præceptum continet plures partes, ergo deobligatus ab vnâ, non censetur ab alijs liber. Confirm. Solutus à lege binam refectio- nem die ieiunij prohibente, non eo ipso liber est à lege abstinendi à carnibus. Ergo nec solutus à lege carni- um vsum prohibente hoc ipso



ipso liber est à lege abstinendi ab altera comestione per vnum diem.

Resp. Parmenam dispensatum in esu carniū licitè hāce vesci bis vno die. Ita Caiet. 22. Q. 147. art. 8. Nauarr. Tolet. Azor. Filliuc. Suar. Tom. 3. in 3. part. D. 70. § 2. & alij. Ratio est, quia essentia ieiunij consistit maxime in abstinentia à carnibus: Hāc ergo demptā, sicuti nō manet essentia ieiunij, sic neque obligatio ad ieiunandum, & seruandum alia requisita.

Ad primum in contrarium negamus consequentiā, quia vna pars præcipitur dependenter ab alia. Ad secundum negamus itidem consequ. ob disparitatem inter binam comestionem, & esum carniū, quod iste plus requiritur; illa verò minùs, & accessorium quid sit ieiunio; iuxta regulam autem Iuris in 6. Cui licet, quod est plus, licebit, quod est minus: at non, cui licet, quod est minus, bina scilicet comestio, licitum esse debet, quod est plus, scilicet comestio carniū.

LXVI. Parthenius Adolescens vehementer libidinosis vexatur tentationibus, & frequenter ijs succumbit; & quamvis inde advertat, statum conjugalem multò vtiliorem sibi futurum, quam cœlibem, facit tamen votum Castitatis, idque grauius violat, vt illud iam vellet, non esse factum. Queritur. Vtrum hoc votum reuera sit validum?

Videtur votum istud validum esse, cum  
omni-



omnibus requisitis constet, ut plerique sentire videntur, quos refert, & sequitur Sanchez L. 4. c. 8. n. 9.

Resp. Etsi allata sententia communior & probabilior sit, nihilominus probabile esse, illud ipsum votum esse invalidum. Ita Trullenchius, Ledesma, Martinus de S. Iosepho, Leander apud Dian P. 10. Tr. 11. Resol. 47. Homobonus. Volum. 1. p. 2. resp. 28. Bonac. Tom. 2. D. 4. q. 2. pun. 1. n. 26. & nonnulli alij. Ratio est, quia hoc votum omnibus consideratis non est de meliori bono; quippe melius & salubrius est voventi matrimonium, quàm abstinentia à matrimonio.

Vnde ruit fundamentum contrariæ sententiæ. Volunt tamen cit. AA. illud dispensatione Papæ indigere. Sed si nullum est, quomodo indiget dispensatione? ad varia, inquit Bonacina, incommoda & fraudes cavendas. Aio, inde solùm convinci, quàm cautissimè confessarium procedere oportere in declarandâ nullitate talis voti, ne, dum vnum iuvare vult, plures in perniciem trahat.

LXVII. *Patricius sclopeto ruri obambulans videt supra culmen alicuius villæ volucrem sedentem, quam iaculaturus aberrat, & ipsam villam globo petis, incenditque, ut brevi tota conflagret. Queritur. Vtrum teneatur ad restitutionem?*

Videtur teneri ad restitutionem, idque sub mortali, si culpa Theologica vel mortalis, vel  
venia;



venialis interuenerit. Ita Rebellus. P. 1. L. 2. q. 10. f. 4. n. 17. Reginald. & alij, cùm damnum illatum sit grave. Ab his dissentientes Less. L. 2. c. 7. n. 2. Filliuc. Malder. & alij nullam obligationē restitutionis agnoscunt, si damnum cum culpâ solùm veniali fuit datum, cùm sic videatur fortuitò illatum:

Resp. I. Patricium in foro conscientie ad nullam teneri restitutionem, si ex hypothese nullam penitus culpam Theolog. in hoc damno illato commiserit. Ita omnes, quia ubi non est culpa, ibi non potest resurgere obligatio restituendi ex damno iniuste dato. Resp. II. Eum teneri sub mortali, si culpa mortalis ex prævisâ & non vitata periculosa actione intercesserit. Ita communis quoque. Cùm & radix, vnde surgit obligatio restituendi, sit gravis, & obiectum pariter sit grave ac commensuratum peccato mortali. Resp. III. Eundem teneri sub veniali ad restitutionem alicuius exiguæ partis faciendam, si culpa solùm venialis interuenerit ob imperfectam deliberationē, seu omissionem debitæ circumspeditionis. Ita Bonac. D. 1. de Restit. in genere. q. 1. p. 3. §. vni n. 9. Ratio est, quia aliàs non erit proportio inter culpam, obligationem, & obiectum.

Atque ex his patet ad rationes in contrarium. Dixi, in foro conscientie. Nam in foro externo præsumitur frequenter graue damnum



num cū graui culpā esse illatum, nisi de contrario aliunde constet vt advertit Wiggers. *Tr. 2. de Iust. c. 1. n. 20.*

LXVIII. *Philaretus marsupium invenit nummis bene fartum: inquisivit sedulo eius dominum, nullo autem comparente, qui suum affirmaret, retinuit sibi. Queritur. Vtrum bene?*

Videtur malè sibi retinuisse, sed pijs locis applicare, vel pauperibus erogare debuisse. Ita Sylvest. Caiet. M. Navarr. Molin. Less. Rebellus, Bonac. & alij, quos refert & sequitur Cardin de Lugo *de Iust. D. 6. num. 139.* Prob tum ex varijs iuribus, tum quod piè credatur, hanc esse domini voluntatem, vt sua bona in Dei honorem, & animarum utilitatem cedant, quandoquidem vti eis non potest.

Resp. Philaretum rectè fecisse retinendo sibi marsupium, nec in eo peccasse. Ita Dominicus Sotus *L. 5. de Iust. q. 3. art. 3. ad 2.* Barth. de Medina, Lopez. P. Navarr. Sa, & alij apud Palao *de Iust. Diss. vnic. pun. 19. n. 3.* Ratio est, quia hæc bona eo ipso, quod dominus ipso eum inveniri nequeat, censentur adempta, idem quippe est in iure, *rem nullius esse: & dominum ignorari*, ac proinde de iure naturæ sunt primò occupantis, sicut thesauri & alia, quæ nullius sunt, nisi quod tacita quædam obligatio illis sit annexa, vt si dominus compareat, restituantur vel integrè, si adhuc  
H extent,



extent, vel in quantū inventor inde factus sit ditior, si fuerint ab isto absumpta. **Confir.** Ius naturale non præcipit vniversim ea bona esse pauperibus distribuenda, vt patet ex recens dictis: Neque ius positivum, quia hoc vel loquitur tantū de bonis peregrini ab intestato morientis, vel de bonis iniuste acquisitis, vel est particulare certi alicuius loci, vel denique loquitur tantū de consilio, non de præcepto, Vt notat rectè Diana P. 9. Tr. 5. Res. 16. Vbi quæstionem hanc fusè & accuratè tractat.

Vnde patet ad *primum* in contrarium. Ad secundum *dicimus*, hæc bona omni dominio certo excidisse, nec ampliùs absolutè esse eorū, qui illa amiserunt, sed eatenus solū, quatenus inventor obligatus est, ea restituere domino, si compareat, vt proinde illorum voluntas parū sit attendenda; hinc tamen contrariam opinionem iudicamus probabilem, piam, & in praxi suadendam cum Laym. Tr. 1. de Iust c. 5. in fine.

LXIX. Pergentinus picturam habet, cuius ignorat pretium, hanc mittens amico Laurentino rogat, vt vno alteròue floreno vendat. Laurentinus obsequium hoc libenter præstiturus inquit prius ex vno & altero, quantum pictura illius pretium putarent, & non maius esse duobus florenis intelligit; sed vltèrius apud peritiorem picturarum estimatorem indagans audit, pretium prædictæ



*dicta pictura 40. florenis taxari, quo deinde pretio etiam vendidit, mittens duos tantum florenos Pergentino, & reliquos sibi reseruans. Queritur. Virum Laurentinus licite hoc fecerit?*

Videtur licite fecisse. Ita Angelus. *V. Empirio. 28.* cuius opinionem probabilem putat Busenbaum *L. 3. Tr. 5. cap. 3. d. 8.* Tum quia Pergentinus non obligauit Laurentinum vendere picturam pretio maiore, sed certum determinauit. Tum quia Laurentinus potuisset dare alicui duos florenos offerenti, quod tamen non fecit, sed alium emptorem inquisiuit. Ergo repperit maius pretium est fructus industriæ.

Resp: Laurentinum illicitè fecisse, & tenere omne reliquum pretium ultra duos florenos restituere Pergentino. Ita Syluest. Gabriel. Navarr. Molin. *Tom. 3. D. 363. Less. de Iust. c. 21. n. 108. Palao de Iust. D. 5. pun. 16. & alij.* Ratio est, quia Laurentinus non habet vllum legitimum titulum, quo possit aliquid sibi ex pretio retinere; non ratione rei venditæ, cum hæc non sit ipse: nec ratione industriæ, cum augmentum pretij non sit fructus illius qualiscunque diligentia, sed picturæ venditæ ad dominum huius spectans.

Ad primum in contrarium dicimus, determinationem eam solum mente (extra specialem pactiõnem, qualis hic non interuenit) factam esse, ne venderetur infra, non autem, ne supra, si fortè dignitas rei postularet. Ad se-



cundum patet ex dictis, nec aliud per industriam quamcunque adhibitam euincitur, quàm actionem proxenetæ referuari negotij gesti, vt bene Palao *loc. cit.* in fine.

LXX. *Placidus & Placidia coniuges tempore Bacchanalium larvis se induerunt, alijsque larvatis miscuerunt, ita tamen, vt neuter de altero quidquam sciret; interim post varias circumcursationes ita convenerunt, vt tandem rem simul haberent, rati ambo, alieno se coniugi copulari, donec altero die inspecta munera, quibus Placidus Placidiam ad facinus induxerat, errorem detegerent. Queritur. Vtrum Placidus adulterium: vnum vel plura peccata commiserit?*

Videtur imprimis non commisisse adulterium, quia hoc definitur à S. Thoma 2. 2. q. 152. art. 8. *voluntarius ad torum alienum accessus, per quem frangitur fides coniugalis.* Sed Placidus non comisit talem accessum. Ergo &c. Alij communiter existimant tria hinc commissa esse peccata. Nimirum duplex adulterij, & scandali. Ratio prioris est, quia hoc adulterio duo læduntur iura, scilicet propria vxor, & maritus adulteræ. Ratio posterioris, quia datur occasio ad ruinam.

Resp. I. Commisum esse peccatum adulterij non quidem *realiter*, sed *obiectiue*. Ita S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 9. Ratio est, quia obiectum tribuit formam actui, prout hinc & nunc ab intellectu proponitur. Atqui Placido ob-

iecta



iecta fuit Placidia non tanquam vxor sua, sed tanquam aliena, & tamen ad eam accessit. Resp. II. Probabile esse, Placidum ex eo, quod putarit cum vxore alienâ rem se habere, non commisisse duo peccata, sed vnum tantum. Ita nonnulli apud Lug. *de Fœnit. D. 16. n. 258.* & expressè P. Ferrantinus *D. 1. de scan. q. 66. n. 119.* vbi alios etiam AA. allegat. Ratio est, quia duplex coniugium probabiliter nec numerum, nec speciem auget; prius quidem, quia probabilis multorum est sententia, ex pluralitate obiectorum non inferri pluralitatem malitiarum: posterius verò quia vtrumque intra eandem adulterij speciem se continet. Pluribus instantijs confirmat hanc responsionem Ferrantinus loc. cit. Ratio in contrarium allata aliud non euincit, quàm oppositam opinionem esse valde probabilem, & fortè probabiliorem, quod vltro concedimus. Resp. III. Placidum non commisisse peccatum scandali inducendo Placidiam tanquam alienam vxorem muneribus datis ad flagitium. Ita Palao *Tr. 23. pun. 9. n. 12.* Vbi ex S. Thomâ, Vasq. & Suarez vniuersim docet, inductionem esse merâ circumstantiam, quando fit ad actum inducenti & inducto communem, vt in proposito: Peccatum verò speciale tunc solùm, quando est ad actum inducto peculiarem. Placidus igitur vnũ duntaxat commisit peccatum adulterij, non quidem

H;

dem



dem realiter, sed obiectiuè. Atque ex his patet ad rationes in oppositum.

LXXI. Primus mercator inter alia accusat se in confessione de rebus iniquè acquisitis. Primianus Confessarius hortatur ipsum ad vitæ emendationem, nullâque aliâ restitutione impositâ absoluit ipsum. Queritur. Vtrum Primianus teneatur ad restitutionem ex eo, quod ad hanc faciendam non coegerit Primum pœnitentem?

Videtur teneri. Ita Molin. P. Nauarr. L. 3. cap. 4. n. 125. & apud hunc alij. Ratio est, quia Confessario incumbit ex officio onus docendi necessaria pœnitentem. Ergo cum non admonet pœnitentem, facit contra officium, & consequenter ipsi tanquã veræ causæ imputanda sunt damna.

Resp. Probabilius esse, Primianum, etiamsi eo officio confessionem excipiat, non esse obligatum ad restitutionem, dum non admonet, vel non cogit Primum pœnitentem ad eam faciendam. Ita Valent. Azor. Suar. Reginald. Sanch. in sum. L. 1. c. 6. num. 5. & l. 2. cap. 12. num. 23. Less. de Iust. cap. 13. num. 78. Hurtadus de Iust. & Iure D. 9. diff. 10. Caspensis Tom. 2. Tr. 8. D. 1. sect. 9. §. per totum. & alij. Ratio est. Tum quia Confessarius non tenetur ex officio & iustitiâ prospicere bonis temporalibus aliorum, sed bono Spirituali pœnitentis. Tum quia contraria sententia in praxi nimis difficilis foret.

Atque



Atque ex his patet, quale onus Confessario incumbat. Hoc dederimus cum Lugone D. 19. de Iust. num. 35. Confessarium teneri ad restitutionem, si omissio & negligentia eius habeat rationem Consilij, quia sic consulens est causa iniusta damni; ut tamen sit gravis obligatio restituendi, consilium etiam moraliter culpabile esse debet.

LXXII. *Probus ex insigni affectu erga animas in piacularibus flammis detentas, indulgentias, quas vivis concessas lucrari studet, perinde illis applicat, uti alia pietatis opera, ieiunia, disciplinas &c. Queritur. Vtrum facere id vi indulgentiarum possit?*

Videtur id posse. Ita P. Georgius Gobat in thesauro Indulg. L. 2. c. 21. q. 61. n. 466. Tum quia nullum ius vel divinum, vel Ecclesiasticum id vetat. Tum quia utiliter id practicatur. Tum quia possum applicare animabus alias meas satisfactiones. Ergo & indulgentias.

Resp. Probum facere illud non posse. Ita communissima DD. sententia apud Dicastillo. Tom. de poenit. Fr. 9. D. 2. n. 225. Ratio est. Tum quia Indulgentia pendet non minus à voluntate concedentis, quàm ab illius auctoritate. Ergo alteri applicari nequit, præter eum, cui ipse concesserit. Tum quia forma concessionis pro vivis excludit defunctos, cum fiat per modum remissionis & absolutionis,



quæ non habet locum quoad defunctos, cum tantum sint capaces indulgentiarum per modum *suffragij*. Tum quia nullus homo habet potestatem dispensandi merita Christi & Sanctorum præter Summum Pontificem. Tum quia quando Pontifex concedit indulgentias pro omnibus fidelibus, non intelliguntur defuncti, ut ex communi docet *cit. Author. n. 235*. Tum quia praxis Ecclesiæ habet, ut semper fiat specialis mentio Indulgentiarum pro animabus, si istis Summus Pontifex applicari velit. Ergo contra ipsius mentem fit hæc applicatio, quando ipse nullam illarum facit mentionem.

Ad *primum* in contrarium dicimus, ob stare ius diuinum soli Summo Pontifici concessum dispensandi merita Christi & Sanctorum. Ad *secundum* Non omnia utiliter praticari à quolibet, sed tantum ab habente potestatem; aliàs etiam involare auderem in alienas pecunias, ut ex ijs utiliter eleemosynas facere possem. Ad *tertium* negamus consequentiam; nam applicare illas prius non possum, quàm faciam meas, hoc ipso autem iam non sunt amplius applicabiles alteri, cum consistant in remissione pœnæ per modum absolutionis, ut diximus.

LXXIII. *Protogenes Sacerdos in Missæ Sacrificio subinde de Sacra sua hostiâ particulam sumit, eaque communicat personâ Sacro ipsius præsentem. Queritur. Rectè ne hoc faciat?*

Vide-



Videtur, quod non. Ita aliqui apud Dian.  
P. 3. Tr. 4. Res. 34. Cùm ipse Sacerdos sumere  
totam hostiam debeat.

Resp. Protogenem licitè facere, si aliquam  
rationabilem causam habeat v. g. si persona  
illa non habeat aliam missam, nec expectare  
diutius possit &c. Ita Dicastillo *de Sacr. Tr. 4.*  
*D. 11. dub. 6. num. 115.* Ratio sumitur ex eo,  
quod nec ex naturâ rei, institutionis scilicet  
Sacramenti, nec ex iure aliquo constet, id es-  
se prohibitum, vt pluribus ostendit *cit. Au-*  
*thor.* Quod si tamen absque vllâ necessitate id  
faceret, aut solo animo obsequendi deuotio-  
ni personæ ex eadem Sacrà Hostiâ cum Sacer-  
dote comunicare desiderantis, peccaret. Tū  
quod ageret contra vniversalem Ecclesiæ mo-  
rem. Tum quod irreuerentiâ aliquam contra  
Sacrificium Missæ committeret; nondum ta-  
men peccati mortalis arguerem, quia non vi-  
detur materia grauis irreuerentiæ, & singula-  
ritatis; etsi per accidens varia incommoda &  
mala immisceri, ac sequi inde possint, ideòq;  
non facilè permitti debeat. Atque ex his pa-  
tet ad rationem in contrariū.

LXXIV. *Quadratus Iuuenis 22. annorum*  
*nullâ ratione à lege ieiunij exceptus, ait in colla-*  
*tione vespertinâ diebus ieiunij sibi præter panem*  
*apponi ossam, pisciculos, lacticiuia, acetaria, ole-*  
*ra, fructus, &c. Queritur. Quomodo inter hæc,*  
*saluo ieiunio, gerere se debeat, hoc enim vehemen-*  
*ter scire desiderat?*

Hs

Vide-



Videtur ex offa, pisciculis, lacticiinijs coctis, & similibus nihil sumere posse: nec ex alijs vltra 6. aut 8. vncias. Ita multi apud Dian P. 5. Tr. 14. R. 14. & diuersis alijs locis. Ratio prioris est, quia cibi illi faciunt ad nutriendum: posterioris, quia ex consuetudine introductâ plus non licet.

Resp. Quadratum comedere posse ex omnibus enumeratis, non tamen vltra quartam partem eorum, quæ quis in prandio sumere consuevit. Priorem partem tradunt Azor Tom. 1. L. 7. c. 8. q. 7. Bonac. Tom. 1. D. 1. in 8. præcept. Decal. q. vlt. pun 3. num. 3. & alij, quorum opinionem probabilem censet Laym. L. 4. Tr. 8. cap. 1. n. 9. Ratio est, quia cibi hi non sunt substantiales; imò Bonac. loc. cit. vult, non tam *qualitatem*, quàm *quantitatem* cibi in refectiunculâ vespertinâ attendendam esse; vnde concedit, partem etiam piscis maioris sumi posse; quæ etiam mens videtur esse Caietani V. *ieiunium. in fine cap. 1.* vbi ait, *non referre, quod quis in serotino ientaculo sumat, si modum non excedat.* Posteriorem partem docent Reginald. Laym. Escobar. Busenbaum, & alij, è quibus Filliuc. Tom. 2. Tr. 27. part. 2. c. 3 q. 7. n. 33. ait, ita decisum esse in celebri Academia à Theologis. Ratio est, quia talis pars in reliquis præceptis modica censetur. Addit rectè Layman loc. cit. quibusdam in locis ex consuetudine plus permitti Sæcularibus,



bus, quàm Religiosis, Nobilibus, quàm plebeis, & in frigidis Regionibus, quàm in alijs. Atque ex his patet ad argumenta in contrarium, ex quibus tamen contrariam sententiam fatemur probabilem, & verò tenendam, vbi vsus alicuius ex prædictis non est permissus in ieiunio.

LXXV. *Reymundus artem novit curandæ cancerum aliquot mulierum recuperatâ sanitate probatam, quam tamen communicare nulli vult, eo quod Magistro suo ad hoc se iuramento obstrinxerit. Queritur. Vtrum iuramento hoc teneatur?*

Videtur teneri, quia ex communi Doctorum iuramentum obligat, quotiescunque materiam habet licitam, & licitè impleri potest. Atqui hoc fit in proposito. Ergo &c.

Resp. Reymundum non teneri iuramento, sed licitè artem suam communicare posse alijs, Ita Fagundez L. 2. in Decalog. c. 14. in fine, citans D. Thom. & Sylvest. Ratio est, quia contra charitatem est, necessitati atque utilitati proximi non succurrere, cùm tam facilè possis, ad quod adstringere non potest iuramentum; cùm istud non sit vinculum cuiusvis iniquitatis. Vnde patet ad rationem in oppositum.

LXXVI. *Ruardus Parochus noctu domũ rediens insigniter verberibus excipitur, cuius facinoris accusatur Proclus illius nuper inimicus, atq; eiusdem facinoris propter allegata & probata condemnatus*



natus excommunicatur, cum reverà sit innocens.

Queritur. Vtrū Proclus sit reipsa excommunicatus?

Videtur excommunicatus. Ita Gloss. in c. 1. de sent excom. in 6. V. propter quam. Durand. 4. D. 18. q. 4. & plerique Iuristæ. Quia Iudex procedens secundum allegata & probata, iustè procedit. Ergo eius sententia valet.

Resp. Proclum reipsa non esse excommunicatū. Ita Couarr. in c. Alma 1. p. §. 7. n. 5. Caiet. Sotus, Tolet. Nauarr. Suar. Auila, Laym. alij. Tum quia nemo potest ligari, nisi propter peccatum à se verè commissum. Tum quia credibile non est, Christum Ecclesiæ suæ potestatem reliquisse, priuandi innocentem tantis bonis spiritualibus, cum hæc priuatio nec publicæ disciplinæ, nec Iudicis authoritati tuendæ expediat, satis quippe his aliunde consulitur, vt statim patebit. Quare potest Proclus, secluso scandalo, conuersari cū hominibus, sacris interesse, communicare, &c. In foro tamen externo, vbi periculū est scandali, vel præsumptionis, quasi censuram talem, & magistratum suum contemneret, gerere se debet instar verè excommunicati, non vi censura, vt vult Suarez Tom. 5. in 3. p. D. 4. §. 7. n. 10. Sed ex Iure naturali, vt rectè Palao P. 6. Tr. 29. D. 1. p. 8. n. 16. Atque in hunc sensum intelligi potest Glossa cit.

Ad rationem in oppositum negatur consequentia, quia ad valorem sententiæ in hac re  
non



non sufficit, Iudicem iustè, seruato juris ordine, procedere, sed insuper necesse est, vt re ipsâ iustum decernat & præcipiat Aliud infra dicemus in causis merè secularibus.

LXXVII. *Ruffina relicta opificis vidua cum filiâ & ancillâ suâ frequenter ac diu laborat diebus festis, præcisè vitandi otij causâ. Queritur. An peccet mortaliter?*

Videtur sic peccare. Ita Suarez de religione. Tom. I. L. I. cap. 26. n. 1. Comitulus in resp. L. 14. q. 37. & alij. Quia violatur præceptum Ecclesiæ in re graui.

Resp. Ruffinam non peccare mortaliter. Ita Sa, V. Festum n. 6. Syluest. V. Dominica q. 5. dicto 3. Homobonus. vol. 1. p. 2. Resp. 35. & alij. Ratio est, quia, vt evitetur damnum temporale, licitè diebus festis laborant opifices: Item vxores, filij familias, & famuli à marito, patre, & hero iussi, vt ex communi docet Bonac. in 3. præcept. Decal. D. 5. q. vnic. p. 3. n. 15. & 16. cur ergò non multò magis licitè laborent Ruffina, & huius filia ac famula, vt evitent damnum spirituale, quod ab otio & curioso per fenestram prospectu meritò sibi timere possunt? Quod si per duas solùm tresve horas laborent, ex parvitate materiæ illas excusat Marchantius Q. pastor. c. 3. q. 2. modò scandalū, omissionem Sacri, & similia cavent.

Ad rationem in oppositum negamus, violari



lari præceptum Ecclesiæ, cùm in periculo talis damni non obliget.

LXXVIII. *Rupertus Episcopus, ut frequentè superstitionum malo medeatur, sub excommunicatione eam prohibet. Melchior ex diœcesi Rupertè ignarus rei adhuc illam committit. Quæritur. Vtrum excommunicationem incurrerit?*

Videtur Melchior excommunicationem incurrisse, quia statutum promulgatione factum est publicum, quæ autem publica sunt, omnes scire censentur, & jure præsumuntur.

Resp. I. Si Melchior tam prohibitionem superstitionis, quàm ipsam pœnam latam inuincibiliter ignorauerit, ab utrâque eum excusari, ut habet communis *ex c. ut animarum de constit. in 6.* Vbi Pontifex non vult vllis statutis ligari ignorantes, & meritò, quia is, qui ignorat legem, non delinquit contra legem, ergo non est transgressor legis.

Resp. II. Si Melchior solam pœnam inuincibiliter ignorauerit, sciens aliàs superstitionem esse prohibitam ab Episcopo, excusari eum quoque à pœnâ, ut ex communi ferè tradit *Dian. P. 4. Tr. 4. Resol. 187.* Nam censura est in contumaces: eadem est medicinalis, quæ requirunt cognitionem. Resp. III. Si Melchior eandem pœnam ignorauerit ignorantia mortaliter culpabili, non tamen crassa, eum itidem excusari à pœnâ. Dari talem ignorantiam docent *Baldell, L. I. de act. hum.*



*hum. D. 25. n. 11. Sanch. L. 1. in Decal. c. 16. n. 7. Bonac. D. 1. de Cens. q. 2. pu. 1. n. 4. & nonnulli alij contra Suarez, Coninck, & plures alios. Eandem verò excusare à pœnâ tradunt Nauarr. in sum cap. 23. n. 59. Sanch. L. 1. cit. c. 17. n. 19. Bonac. loc. cit. n. 10. Bresserus L. 5. c. 1. n. 1. & nonnulli apud hos contra plerosque alios. Probat, Tum quia in *cit. c. 2. de animarum*. generaliter dicitur, *ignorantiam, quæ non est crassa, excusare, &c.* Tum quia hîc abest omnis contemptus, qualis requiri videtur ad incurrendam censuram; cùm hæc, inquit Bonac. dicatur *pœna contemptus*. Atque hoc tenendum, si lex Episcopalis *absolutè* pœnam statuerit; quod si terminis similibus *vsq; fa* fuerit: *qui scienter, qui consultò &c.* hoc fecerit, tunc Resp. IV. Melchiorè tum quoq; excusari à pœnâ, etiamsi ignorantiam affectatam habuerit, vt rectè Dian. P. 3. Tr. 6. Resol. 7. cùm sic non prorsus operatus fuerit scienter.*

Ad rationem in oppositum dicimus, eam procedere solùm de foro externo, ubi etiam præsumptionem scientiæ elidere potest Melchior, iuramento ignorantiam suam attestando, vt docent Nauarr. Portel. Afflictus, & alij apud Dian. P. 5. Tr. 14. Resol. 24. contra Bartol. & alios I. P.

LXXIX. *Sabinus Iudex inter partes litigantes reperit æqualis omnino iuris æqualitatem,*  
*quare*



quare rem pro libitu, cui placuit, adiudicauit.

*Queritur. An licitè id fecerit?*

Affirmat Valent. Thom. & Ioã. Sanch. Salas, Palao Tr 1. D. 2. pun. 10. n. 5. & apud hunc plures. Negant apud eundem Bannez 2. 2. quest. 63. art. 4. dub. 1. Suar. Coninc. & alij.

Resp. Cum Arriag. To. 1. in 1. 2. D. 34. n. 29. si vnus ex illis litigantibus iam habuerit possessionem rei, potuisse Sabinum Iudicem omnino illi relinquere; cum ex communi omnium *melior sit conditio possidentis*; quæ ratio eodẽ modo procedit, quando de vtriusq; partis iure est æqualis probabilitas, & aliunde vni favet possessio. Ergo tunc non poterit ex ea deturbari. Quod si verò neuter habuerit possessionem, probabilius videri, non potuisse tunc Sabinum adiudicare rem, cui placuerit, sed debuisse eam dividere; cur enim, vbi est æquale ius, æqualis non sit distributio? Atqui eo ipso, quod rationes probantes ius in hoc & illo sint æquales, ius quoad homines, qui rationibus solùm diriguntur, æquale etiam est in vtroque. Ergo non est licitum tunc vnum alteri præferre. Atque sic satisficit oppositis sententijs, & earum rationibus.

LXXX. *Sabinianus Episcopus in statu peccati mortalis subinde consecravit Ecclesias & Calices. Idem adhuc Sacerdos interdum solenniter fuit cõcionatus: & Diaconus ac Subdiaconus in eodem statu ministravit, Evangelium & Epistolam cantavit &c.*



*cantavit &c. de quo nunc angitur, & accusat se. Queritur. Vtrum in his peccaverit mortaliter?*

Videtur graviter peccasse. Ita Siluius 3. p. q. 64. art. 6. citans S. Thom. Caiet. Navarr. & alios. Ratio est. Tum quia actiones illæ sunt Sacræ, & Sacramento peculiare. Tum quia tempore Caroli Magni, vti habetur in speculo Exemp. *distin. 9. Exem. 110.* Diaconus in mortali ministrans solenni Sacro punitus fuit à Deo repentinâ morte. Tum quia frequentia actuum in tali statu continet insuper contemptum, vt docet Filliuc. *Tr. 1. n. 78.*

Resp. Sabinianum non peccasse in his graviter. Ita Vasq. *Tom 3. in 3. part. D. 136. c. 4.* Coninck. *de Sac. q. 64 art. 6. d. 1. n. 38.* Lugo *de Sacram. D. 8 n. 153.* Dicastillo *Tr. 1. de Sac. in Gen. D. 3. n. 217.* & alij. Ratio est, quia licet actiones hæ Sacræ sint, atque ideo aliqua sit irreuerentia illas exercere in statu peccati, non tamen tam grauis est, vt ad culpam lethalem perueniat; imò nec si Sacram Eucharistiam sic alijs porrexisset, vt plures sentiunt apud Dicastillo. *n. 229.* quidquid contra sentiant Laym. *L. 5. Tr. 1. c. 5. n. 8.* & alij quia tunc non confecisset Sacramentum, nec sanctificasset, sed localiter tantum applicasset; secus si etiam Crisma in statu peccati consecrasset, & oleum benedixisset, tunc enim probabiliter peccasset mortaliter vt contra Vasq. *num. 48.* Dicastillo. *loc. cit.* & alios docet



cet Lugo *num.* 136. quia hæ consecrationes sunt actiones verè Sacramentales, non autem consecratio Ecclesiæ, aræ, aut calicis, &c.

Ad *primum* in contrarium patet ex dictis. Ad *secundum* dicimus, Deum nonnunquam etiam culpam venialem punire pœnâ graui. Ad *tertium* negamus, hîc vllum contemptum inueniri, aliàs etiam in frequenti mendacio reperiretur.

LXXXI. *Sebaldus vir Catholicus, & nullo scelere infamis ex pago suo Monachium negotiorum causa veniens ad Hospitium quoddam diuertit, in quo viarum domûs signarus, dum noctu ex hypocausto exit, fallente pedum vestigio per scalas decidit, casu adeò graui, vt subito viribus destitutus nullum amplius confessionis faciendæ signum dare possit. Interim excitati strepitu domestici accurrunt, simulque patrem aliquem è Collegio Societatis IESV vocant, qui & repente adest, sed nec ipse aliquod confessionis signum dari iam aduertit, nec prius datum esse, ex alijs intelligit. Queritur. Vtrum Pater nihilominus Sebaldum saltem sub conditione absoluat?*

Videtur, quod possit. Ita multi ac graues AA. tum alij, tum ex Societate nostrâ, quos citat Diana 3. *part. Tr.* 3. *Resol.* 8. Et 4. *part. Tr.* 4. *Resol.* 92. Et 9. *part. Tr.* 6. *Resol.* 26. Imò Ioannes Caramuel in *Theol. Mor. L.* 3. *D.* 4. *num.* 154. putat, illum non tantùm posse, sed etiam teneri absolueri, Probat *primò* ex auctoritate

tate



tate Clementis VIII. qui decidentem ex alto templi inter ipsum lapsum absoluit, vt sic certam mortem præueniret. *Secundò* ex praxi valde communi in diuersis prouincijs. Tertiò ex probabili fundamento præsentis debitæ dispositionis in moribundo. Tum quod in nostro casu Sebaldus passim probus vir fuerit habitus. Tum quod nemo præsumatur salutis suæ negligens. Tum quod diuinum auxilium tempore mortis specialiter adesse soleat. *Confirmatur* à pueris, qui sub conditione absolui solent ex communi Theolog. etiamsi dubium sit de dispositione ipsorum debitâ.

Resp. Sebaldum absolui à Patre non posse. Ita planè communis DD. vt testantur, & sequuntur Diana *loc. cit.* Card. de Lugo *de pœnit.* D. 17. num. 39 & Vasq. Q. 91. art. 1. d. 1. n. 10. alens: nullum esse, qui contrarium dicat. Probatum primò ex autoritate Conciliorum. Arausicanum 1. c. 2. Et Carthaginense. 4. c. 63. Item Leo M. Papa *epist.* 41. ad Theodorum dicunt: *Si moribundus subito obmutescat, potest penitentiam accipere & consequi, si volūtatis præuiae testimonium aliorum verbis habeat; vbi conditio hæc: si volūtatis præuiae & c.* sicut in omnibus omnino huiusmodi materijs, ponitur vt necessaria, non vt otiosa. Probatum *secundò* ex statuto Societatis IESV, quæ in ordinatione pro studijs superioribus Anno 1651. ad Prouincias missâ, prohibet n. 14. ne doceatur hæc



hæc sententia: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeò vt Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolui potest.*

Ex quo ego tria infero Societatem nostram concernentia. I. Hanc sententiam non posse ab vlllo ex PP. Societatis practicari, quia hic non valet regula illa juris: *Odia sunt restringenda*, tum quod prohibitio ista maximè posita sit ad tollendam praxin, cum vix vlli adhuc in Societate docuerint, multi autem practicârunt; tum quod doctrina moralis in Societate sit quasi forma, & regula praxis instituendæ, vt proinde hæc sine illâ subsistere nequeat. II. Nec sub conditione posse moribundum talem Sacramentaliter absolui; etiamsi, inquit *Arriaga de Pæn. D. 36. n. 28.* Sacerdoti diuinitus constaret, illum esse contritum, & optare confessionem; quippe dolor internus nullo signo externo manifestatus non facit accusationem sui sensibilem, qualè tamè sensibilem confessionem tanquam partem essentialem expressè requirit *Tridentinum sess. 14. can. 9.* III. In nullo casu contrarium licere, nec ob vitam optimam, & sanctam, atque vbique notam Ratio triplicis huius Corollarij est, tum quod hæc sententia absolutè, & absque limitatione prohibeatur. Tum quod aliter hæctenus absolutio non sit data, nisi sub conditione, & ex præsumptione bonæ dispo-



dispositionis ex bonâ famâ. Ergo cum nihilominus prohibitio posita fuerit, omnem hæc limitem & præsumptionem sustulerit, necesse est, aded vt putem, nec Sacerdotem absolui posse, si in introitu Missæ post confessionem factam subito sensibus destitutus corruat, quia illa oratio non est prolata ad accusationem & absolutionem Sacramentalem, vt bene docent Layman *L. 5. Tr. 6. cap. 8. num. 4.* & alij. Quia tamen in prædicta ordinatione nihil de vsu, ac praxi opinionis est expressè definitum, idcirco contrarium his tribus corollarijs aliorum sensum & vsum suis Authoribus relinquo.

Probatur iam *tertiò* responsio ratione. Tum quia vbi nulla est sensibilis accusatio, ibi nulla esse potest absolutio. Atqui in casu nostro nulla est sensibilis accusatio. Ergo, &c. nititur hæc ratio Tridentino recens citato Tum quia tunc absolueret pœnitentem nullo modo possum, quando nec scio, nec prudenter putare possum, præcessisse sensibilem aliquam confessionem. Atqui in proposito nec scio, nec prudenter putare possum, præcessisse sensibilem confessionem, hoc ipso quod nullum huius habeam indicium. Ergo &c. Hoc argumentum supponit prohibitio Societatis nostræ, ex cuius verbis desumpta est, cuius maior est certa. Min. patebit ex solutione argumentorum.



Itaque ad *primum* in contrarium dicimus, fabulosum id esse, vt testatur Lugo *loc. cit. n. 34.* Ad *secundum* praxin hanc apud nostros Patres vi allatæ prohibitionis meo iudicio sublatam esse, si qui tamen eam adhuc retinent, illi aliorum sensum sequuntur. Ad *tertium.* Non adesse probabile fundamentum, sed meram piam præsumptionem, quæ minimè sufficiat, cùm nec omnes in agone salutis suæ consulant, nec Deus efficaci semper auxilio opituletur. Ad *Confirmationem* negamus paritatem, cùm in pueris sensibilis confessio adsit, & Sacramentum fuerit inchoatum, quod proinde petit, vt quo potest modo perficiatur saltem sub conditione, si rationale dubium sit de sufficiente dispositione, vt reuera est in pueris, minimè verò in casu nostro, vt ex dictis satis liquet.

LXXXII. *Senatus Curenensis jus habens presentandi ad beneficia curata statuit, vt quicunque ex petentibus ad presentationem designaretur, aliquid pecuniæ singulis Senatoribus numeraret. Queritur. Vtrum absque Simonia fieri hoc possit?*

Videtur non posse. Nam quodocunque in beneficijs interuenit *pactio* etiam absque pretio, committitur Simonia, vt ex communi docet Thom. Sanchez *L. 2. Consil. Moral. c. 3. dub. 25.* vbi etiam plura iura adducit. Sed hic interuenit *pactio* Senatûs cum præsentandis. Ergo committitur Simonia. Resp.



Resp. Probabiliter posse fieri absque Simonia. Ratio fundamentalis sumitur à contrario, quod nulla vera pactio in proposito interueniat, sed liciti duo alij tituli vsurpentur; Nimirum *primò* titulus donationis remuneratoriæ, in qua nec pactio, nec pretium reperitur, cum nulli alteri jus inde tribuatur, aut æqualitas constituatur. *Secundò* titulus donationis modalis, in qua iterum non latere pactioem aut pretium, vel ex eo patet, quod donum nec pretium, nec pactioem inuoluat; sed quod modaliter datur, est donum, & sic vocatur ab utroque jure; Canonico quidem *tit. de Conditionibus appositis*: Civili verò *C. de donationibus sub modo*. Ergo & c. Unde rectè donationem modalem à labe Simoniæ immunem defendunt Suarez *de Sim. c. 39. n. 20.* Tanner *Tom. 3. D. 5. Q. 8. n. 70.* Filiuc. *Tr. 25. c. 9. n. 30.* & alij. Addi *tertiò* potest titulus laboris & sustentationis, quæ omnes DD. admittunt, estque fundamentum omnium beneficiorum Ecclesiasticorum; debent autem Senatores illo die conuenire, agere, ac iudicare de præsentando, aliàs vel non conuenturi, vel non tam diu simul mansuri. Cum ergo præsentandorum gratiâ distenti sint, suaque interea domi relinquere debeant, cur non aliquid pecuniæ pro labore hoc & alimentis requirere possint? vt rectè Bonac. *Tom. 1. de Sim. D. 1. Q. 6. pu. 4.*



Atque ex his patet ad rationem in contrarium; negamus quippe, veram hęc pactio-  
nem, de qua jura loquuntur, interuenire, hoc  
ipso quod nulla vera obligatio, ac præsertim  
noua inducatur, quæ puritati præsentationis  
obstet; interim vtrò fatemur, oppositã sen-  
tentiam multò probabiliorem & securiorem  
esse, nec nisi sub aliqua probabilitate respon-  
sionem hanc afferre intendimus ad facti ex-  
cusationem, non commendationem.

LXXXIII. *Severa Virgo cuidam Hero viduo  
ancillans multa ab hoc accipit munera, eo, vt facile  
conijcit, animo data, vt ad turpe facinus alliciatur  
quod tamen nunquam patrare statuit, idque Hero  
manifestat; interim autem dubitat, num accepta  
munera retinere possit. Queritur. Quid faciat?*

Videtur non posse retinere. Tum quia do-  
na hæc non dantur absolutè, sed hęc condi-  
tione, si vsum corporis concedere velit. Tum  
quia aliàs cooperabitur peccato Heri non nisi  
turpi animo donantis.

Resp. Severã posse retinere. Ita Molin. Re-  
bell. de Iust. p. 1. L. 3. q. 7. n. 6. & alij. Ratio est,  
quia munera hæc nõ sunt data tanquam pre-  
tium turpis lucri, id est, cum pacto explicito  
vel implicito patrandi operis, sed tanquã libe-  
rale donum, licet cum spe alliciendi donata-  
riam ad turpe opus, quale munus liberale per-  
ferestituendum non est, vt etiam contra Lo-  
pez tuetur Dian. P. 2. Tr. 16. Resol. 40. §. not.  
vbi



vbi addit, nullum esse amatorem, qui non verecundaretur, & erubesceret, si talia munera sibi remitterentur; verè enim ea donant, licet ob deflexum finem.

Ad *primum* in contrarium negamus, munera illa dari tanquam pretium sub conditione exhibendi vsùs corporis, cum absolutè donentur, esto cum spe aliqua prædictum vsus corporis impetrandi; vnde etiam Diana *loc. cit.* ait, fœminas non recipere similia munera sub pacto, sive tanquam pretium impudicitix, sed tanquam incitamentum. Ad *secundum* itidem negamus, Severam cooperari peccato Heri, qui donationem suam non amplius continuat, sed ex illâ iam præteritâ, & muneribus à se abalienatis solam turpè spem retinet, ad quam donataria non concurrat, neque illam fovet, sed potius irritam facit, & destruit, negando liberè & apertè rem speratam.

LXXXIV. *Severianus Parothus citò vocatus ad moribundum in vicinia confiteri volentem, angitur quidem conscius peccati mortalis, nec tam repente conteri se posse ratus, nihilominus adit ægrum, eumq; auditâ confessione absolvit, alijsq; Sacramentis munit. Queritur. An peccaverit mortaliter, quod ob angustias temporis non præmissâ contritione absolverit ægrum, aliâque Sacramenta administravit?*

Videtur sic peccâsse. Ita Iacobus Marchan-



tius de *Sacram.* Tr. 1. quest. Past. 6. 4. q. 2. & nonnulli existimantes, nullam breuitatem temporis excusare posse.

Resp. Severianum non peccâsse mortaliter. Ita Card. de Lugo de *Sacram.* D. 8. s. 9. n. 151. & Dicastillo D. 3. de *Sacram.* in Gen. n. 214. vbi hanc responsionem vocat communem & receptam sententiam. Probat. Quia in tam inexpectato casu angustia temporis aliaque circumstantia ita occupare Sacerdotem possunt, vt reflectere se & conteri de peccato non possit, etsi huius recorderetur. Tum quia necessitas proximi, in cuius subsidium Sacramenta sunt instituta, præponderat præcepto de ministrandis illis in gratia, hæc enim ratio, cum vrget necessitas, multa sunt circa personam Principis, quæ extra necessitatem continent gravissimam irreuerentiam. Atque ex his patet ad rationem in cõtrarium.

LXXXV. *Sybillina marito suo fidem frangit, & ex adulterio Luxurium concipit, quem tamen viro suo supponit, interque alios proprios liberos educari illum sinit; post multos autem annos, Confessario iubente, adulterium suum aperit Luxurio, vetatque, ne tanquam spurius in hereditatem paternam cum alijs legitimis filijs veniat. Queritur I. An rectè Confessarius Sibyllinae præceperit vt flagitium suum filio detegeret? II. Vtrum Luxurius matri credere, & ab hereditate abstinere se peneatur?*

Videtur



Videtur Confessarius rectè fecisse, quia Sibyllina ex Communi Theolog. tenetur damnatum alijs liberis tam futurum, quàm illatum refarcire: Luxurius quoque videtur teneri matritate iam graui, suique semper amanti, adeóq; minimè suspectæ credere, & ab hæreditate se abstinere. Ita Vasq. *Tr. de Testam. c. 5. n. 2.* & alij.

Resp. Si Confessarius advertit, Sibyllinam aliunde iam compensasse, vel absque periculo odij, discordiarum, infamiæ, &c. aperire suum facinus non posse, si, inquam, hæc advertit, tunc malè eam vltèrius compensationis faciendæ admonuit, vt habet communis Theol. qui etiam cum Canonistis *in c. per tuas. de probationibus* & *Legistis in L. si posthumis. ff. de liberis & posthumis* docent, Luxurium non teneri matri credere, nisi conuincantibus rationibus ostendat, ipsum esse spurium, adeóque etiam non arceri ab hæreditate adeundâ, cum sit in possessione filiationis. Quod si tamen Sibyllina nihil penitus incommodi timeret, atque insuper demonstrare posset, se extra legitimum torum concepisse, tunc omnino & Confessarius bene præcepisset manifestationem, & Luxurius matri credere, & hæreditatem relinquere teneretur. Verùm istud humanitus vix ac ne vix quidem contingere potest, vt vniversim & ordinariè loquendo nec confessarij adulteram  
monere,



monere, nec filij credere vnquam teneantur.

Ad primum in oppositum dicimus, Sibyllinam omnibus, quibus potest, modis teneri quidem damnum legitimis filijs cavere, & refarcire, non tamen cum iacturâ maioris proprij boni, v. g. honoris, famæ &c. qualis iactura in manifestatione fieret iuxta communem Theologorum: Luxurium quoque affirmamus non obligari, matri soli, vti vt fide digna appareat, credere, & consequenter hereditate se abdicare, cum iure gentium boni communis causâ introductum videatur ad multas hominum astutorum fraudes vitandas, vt memo vnus, quamvis minimè suspecti hominis testimonio credere teneatur in suum præiudicium. C. cum à nobis de testib. quod præiudicium apertè hîc intervenit, vt rectè Layman. L. 3. Tr. 3. p. 3. cap. 14. n. 1.

LXXXVI. *Sosthenes Sacerdos plura accipit stipendia pro certis missis de B. Virgine, & pro Defunctis &c. dicendis, quas tamen tales postea non legit, sed eas, que pro tempore iuxta Ecclesiæ ordinem occurrunt. Queritur. An rectè hoc faciat?*

Videtur, quod non. Ita Laym. L. 5. Tr. 5. c. 1. n. 15. Tum quia exequi debet rationabilem voluntatem concedentis stipendium. Tum quia ex specialibus Missæ orationibus maior impetrationis fructus prouenire solet.

Resp. Sosthenem plenè satisfacere, si Missam iuxta ordinem Ecclesiæ celebret, & intentionem



entionem ad voluntatem concedentis stipendium applicet. Ita Azor, Sa, Suarez *D. 83. f. 3.* Barbof. 2. p. *de potest. Episc. alleg. 24. n. 32.* Lugo *Tom. 1. de Sacr. D. 21. n. 35.* & alij. Ratio est, quia decentius est, Sosthenem in celebratione conformare se vniuersalis Ecclesiæ præcepto, quàm ob voluntatem petentis vti priuilegio & permissione.

*Ad primum in contrarium dicimus, tam voluntatem rationabilem petentis, quàm speciales Missarum orationes sufficienter compensari executione voluntatis Ecclesiæ, quæ Missam talè eo die præscribit celebrandam, vt rectè Palao Tr. 22. D. vnic. p. 14. num. 10. atque sic etiam patet ad secundum.*

**LXXVII.** *Soter nuper bonâ fide emit equum Augustæ 50. florenis, quem eadem bonâ fide statim transuexit Ratisbonam, ibique in Comitibus Imperialibus 70 flor. vendidit alicui extero, qui statim eum secum abduxit, simulque innotuit, illum esse alienum. Queritur. Vtrum Soter teneatur ad aliquam restitutionem domino comparenti faciendam?*

Videtur teneri. Ita Bannez & Arragon. 22. q. 67. art. 6. dub. 1. Ledesma, Sayr. & alij. Quia pretium, inquiunt, succedit loco rei. Subscribit aliquousque Bonac. *D. 1. de Restit. in genere. q. 2. p. 1. n. 9.* ratus, Soterum saltem lucrum, quod in venditione fecit, restituere teneri, quia in illo factus est ditior.

Resp.



Resp. Soterū ad nullam obligari restitutionem. Ita Molin D. 721. Less. Rebell. Lugo D. 17. de Iust. n. 19. & alij. Ratio est, quia Soter non tenetur ratione iniustæ acceptio- nis, propter bonam fidem, quam semper ha- buit: nec ratione rei acceptæ, ex quâ non est factus ditior: nec denique ratione lucri in venditione acquisiti, quia illud non à re alie- nâ, sed à propriâ industriâ obuenit, vt rectè aduertit Molin. *loc. cit. n. 6.* qualem fructum industrialē Laym. *Tr. 4. de Iust. cap. 13. §. 3. n. 25.* futurum fuisse censet, etiamsi Soter abs- que transportatione equum statim Augustæ prædicto pretio & lucro vendidisset, quid- quid secus sentiant plerique alij. Nam si esset fructus naturalis, vel civilis, sequeretur, eti- amsi dominus recuperâset rem suam ab vl- timo emptore, adhuc istum emptorem medi- um teneri illi restituere illud lucrum, tan- quam fructum rei suæ, quod nemo dixerit.

Atque ex his patet ad rationem in contra- rium; nam quando dicitur, *pretium succedere loco rei*, intelligendum id de pretio debito pro re, quale in præsentī non est penes Soterum, cum nec res amplius in ipsius sit dominio. Constat quoque eundem non debere lucrum restituere, cum illud non res ipsa, sed propria industria fecerit.

LXXXVIII. *Sulpitius mercator dolet apud se paucos emere, multos autem apud Seruilianum vicinum.*



*vicinum. Queritur. Vtrum committat peccatum mortale invidia?*

Videtur sic peccare, quia grauiter Charitati proximi repugnat, dolere bonum alterius existere. Ita Coninck *de actib. supernat. D. 30. n. 25.* post Valent. Suar. & alios.

Resp. Si Sulpitius tristetur, quod nō potius apud se emant, non esse inuidiam, sed æmulationem bonam de carentia boni, vt fatetur Coninck *loc cit. num. 23.* quia hoc licitè possum procurare (sed sine fraude & detractio- ne) ergo etiam licitè optare, & si non fiat, dolere: Si verò Sulpitius tristetur, quia hoc est commodum alteri, & ipse inde obscura- tur & negligitur, tum esse inuidiam, sed pro- babiliter solū venialem, vt docet Lorca *in 22. D. Thom: q. 36. in addit ad art. 3.* quia do- lere me de bono tuo, quatenus meum bonum diminuit, non est absolutè dolere de bono tuo, sed dolere de isto, quatenus hunc mo- lestum mihi effectum causat. Ergo talis tri- stitia & dolor non videtur ex genere suo con- stituere peccatum mortale.

Vnde ad rationem in contrarium dicimus, inuidiam tunc solū esse peccatum mortale, grauiterque repugnare Charitati, cū quis ita vehementer bono proximi inuidet, de que eo tristatur, vt ex illo affectu moueatur ad in- iustè remouendum proximi bonum: Secus si absque hoc periculo inuideat, & doleat, vt contingit in casu nostro.

LXXXIX.



LXXXIX. Tobias Gabelo in extremâ necessitate constituto decem aureos dat mutuos ad paupertatem subleuandam, quos postea ab eodem ad meliorem fortunam euecto repetit. *Quæritur. Vtrum Gabelus hos Tobias restituere teneatur?*

Affirmant Navarr. cap. 17. num. 61. Covarr. Toletus, alij. Negant Valent. 2. 2. Diss. Quest. 9. pun. 4. Suar. Bonac. alij. Priores putant potuisse mero mutuo succurrere: Secus sentiunt posteriores.

Resp. Vel Gabelus omnino pauper fuit, ut nō solūm hīc & nūc nihil haberet, sed nec paulō post habiturus videretur: Vel nihil quidē habuit, probabiliter tamen paulō post aliquid se habiturum speravit? *Si prius*, Tobias gratuitâ donatione succurrere debuit, nec iure repetere amplius quidquam potest, quia aliās non sustulisset necessitatem Gabeli, sed tantūm in aliam mutāset; & certē si in hoc casu non obligat præceptum eleemosynæ, quando obligabit? *Si posterius*, Tobias mutuo succurrere potuit, idq; repetere iam valet, quia tunc Gabelus non absolutē fuit pauper hoc ipso, quod hæreditate, industriâ, vel aliâ ratione probabiliter polliceri sibi aliqua potuerit. Ita Coninc. de act. supernat. D. 27. n. 149. & 153. pulchrē oppositas sententias concilians.

Vnde etiam patet ad ipsorum fundamentum. Sed quid si Tobias Gabelo in extremâ  
neces-



necessitate posito dedisset decem aureos cum obligatione conditionatâ refundendi, si fortè ad pinguiorem fortunam veniret, tenereturne Gabelus tunc refundere? Respondent probabiliter affirmatiuè Vasq. *in opusc. de elemos. cap. 1. d. 6. n. 54.* & Less L. 2. *de iust. c. 16. dubit. 1. n. 11.* rati, absolutam solùm obligationem præcepto eleemosynæ obstare. Verùm etsi hoc minùs durū sit, nec possit ita improbari in eo, qui cū aliquâ notabili difficultate donet eleemosynam ex rebus, quibus ipse etiam indigeret; in alijs tamen videtur non satis humanum, & signum nimij affectûs erga pecuniam, atque etiam repugnare sententijs Patrum, qui volunt, eleemosynam dari absolutè & gratis, vt videre est *apud AA. passim.* Quare talis conditionata eleemosyna culpam venialem non facilè euitabit, nisi fiat in bonum aliorum pauperum, vt in Alumnatibus, &c.

XC. *Torpes frequenter non orat ad pulsum Angelicæ saluationis, Agonia, & mortis Christi. Queritur. Vtrum peccet?*

Videtur peccare. Ita aliqui apud Dianam P. 6. Tr. 6. Tr. 5. Resol. 11. quia consuetudo orationis ad pulsum illum faciendæ comuni Christiani populi consensu fuit introducta, & longissimo tempore præscripta. Vnde transgressores puniri à Magistratu solent.

Resp. Torpetem, per se loquendo non

K

peccare,



peccare. Quia vniuersim loquendo (quid-  
quid sit in particulari de nonnullis grauibus)  
consuetudo non obligat in conscientia, cuius  
aliqua lex scripta non extet, quippe hâc defi-  
ciente probari illa nequit, quod animo se ob-  
ligandi, & liberè fuerit à communitate intro-  
ducta & continuata per quoduis longissi-  
mum tempus, vt præclarè docet P. Arriag.  
Tom. 4 D. 25. num. 6. Atquid de Oratione ad  
pulsam Angelicæ Salutationis, Agoniæ, &  
mortis Christi facienda (par est ratio de mul-  
tis alijs) non extat lex, nec probari potest,  
eam animo obligandi fuisse introductâ. Er-  
go, &c.

Vnde patet ad rationem in oppositum. Ex  
punitioe transgressorum non probatur in-  
tentum, sed potius contrarium, populum sci-  
licet non liberè, sed metu pœnarum observa-  
re consuetudinem, iuxta illud: *Oderunt pec-  
cari mali formidine pœne.*

XCI. Trophimus filiolum suum recens natum  
portat ad Parochiam, vt ibi à Parocho baptize-  
tur; sed in via iuxta flumen aduertit tum ipse,  
tum alijs eius comites, infantem incipere mori, iam  
iamque animam agere. Cùm ergo actum de illo  
apertè videat, nec aqua tam citò ad manum sit, vt  
anima saltem saluetur, projicit puerulū in flumen,  
simulque pronunciat legitima verba: *Ego te bap-  
tizo, &c.* Queritur. *Verum Trophimus rectè fe-  
cerit?*

Vide.



Videtur malè fecisse, quia nec validè infans fuit baptizatus defectu educationis ex aqua, vt docent Scotus, Sylvest, Armilla, Tolet, & alij apud Palao *Tr. 19. D. vnic. pun. 4. n. 9*; nec licitè ratione mortis directè intentæ, vt tenent Palao *loc. cit. n. 12*. Hurtadus *de Baptis. D. 1. diffic. 5*. Dicastillo *de Baptis d. 1. n. 66*, & plerique alij, quos citat & sequitur Diana *P. 10. Tr. 16. Resol. 20*.

Resp. Baptismum pueruli huius & validum, & probabiliter licitum fuisse, vt proinde Trophimus non malè fecerit. I. Pars responsi est planè communis DD. & ratio est, quia ablutio, quæ est proxima Baptismi materia, non requirit intentionem educendi ex aquâ, vel ipsam educationem, sed solam mersionem seu contactum aquæ. II. Pars est Panormitani, Gabrielis, Rosellæ, quos citat & sequitur Less. *in 3. part. D. Thom. q. 66. art. 7. dub. 3. n. 33. & 34*. Ratio est, quia proiectione pueri iam iam morientis in flumen non est homicidium, cum moraliter parùm pro nihilo reputetur. Tum quia perditâ iam vitâ corporali recta ratio & charitas suadet, vt omni modo seruetur vita animæ.

Ad rationem *primæ* partis constat ex dictis; non enim requiritur intentio elevandi ex aquâ, sed in solâ mersione seu contactu aquæ perficitur ablutio ad essentiam baptismi necessaria. Ad rationem *secundæ* partis itid. constat ex dictis; esto enim mala facienda non



sint, vt eveniat bonum, quod vnicè vrgent Adversarij, hîc tamen nullum sit malum, cùm moraliter vita sit iam perditâ; perinde vt in muliere gravidâ ad mortem damnata, quâ servato iuris ordine secari posse, si Spes sit, vt fœtus sic baptizari valeat: periculum verò aliàs, ne ex aliquo morbo ante partum vnâ cum prole moriatur, ex Suarez, & Coninck docet Escobar. *Tr. 7. Exam. 2. c. 4.*

*XCII. Tuscana diuitis viri vxor de bonis communibus liberales facit eleemosynas, tum in filios ex priori matrimonio, & fratres pauperes, tum in alios, nec reprehensa idcirco à marito eas omittit. Queritur. Vtrum peccet elargiendo?*

Videtur peccare. Ita Turrian. *in 2. 2. Tom. 2. D. 23. dub. 5. n. 6.* quia eleemosynas has non facit ex paraphernis alijsque proprijs, sed ex communibus bonis, quorum administratio est penes maritum, vt proinde, hoc inuito, nihil ex illis vxor elargiri possit.

Resp. Tuscanam non peccare, si faciat moderatas eleemosynas pro more aliarum fœminarum suæ conditionis, nec vigesimam partem annuorum prouentuum excedentes. Ita Bannez *in 2. 2. Q. 32. art. 8.* Malderus, & plures, quos citat, & sequitur Diana *P. 2. Tr. 5. Resol. 34.* Nam in hoc maritus non potest esse rationabiliter inuitus; ipsa enim non est serua, sed socia honorum; vnde spectat ad eius decentiam aliquas eleemosynas elargiri.

Quin-



Quinimò si assignata quantitas eleemosynæ in filios ac fratres pauperes non sufficiat, ipsa autem Tuscana aliunde iuuare eos nequeat, poterit inuito etiam marito clam plus surripere, & egentibus illis succurrere, vt docent Less. L. 2. c. 12. n. 88. Bonac D. 2. de Restit. Q. 10 pun 2. n. 9. & alij. Quia ad decentem quoque vxoris statum eiusque honorem spectat, ne filios ac fratres egere permittat, cum bona habeat, ex quibus subuenire possit. At tamen debet vxor dissoluto matrimonio inter bonorum partitionem cum viri hæredibus computare in suâ parte, quæ sic vltra dictam supra quantitatem elargita est, cum æquum non sit, vt ex alienis subueniat consanguineis, si habeat propria, vt rectè notant cit. AA.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum: esto enim maritus habeat administrationem bonorū, non potest tamè agrè ferre, si illorum socia seu Vxor aliquid inde accipiat, & in laudabiles fines expendat.

XGIII. *Tychius Sacerdos ante aliquot annos initiatus recordatur nunquam se dixisse sacra & preces ab Episcopo in ordinatione iniunctas. Nunc anxius de hoc intelligere cupit, qualis sit obligatio. Queritur. An peccarit mortaliter?*

Videtur sic peccasse. Ita Azor, Suar. Laym. Less. L. 2. de Iust. cap. 37. n. 46. & alij. Tum quia Episcopus pote st similia sub gravi onere



imponere, & communiter censetur sic facere. Tum quia tenentur Clerici sub mortali die S. Marci & Rogationum ad Litanias priuatim recitandas, si non intersint processionibus. Ergo etiam ad preces & sacra ab Episcopo imposita, cum consuetudo vtriusque eodem modo per modum legis grauius obligantis sit recepta.

Resp. Tychium omittendo preces & Sacra ab Episcopo iniuncta non peccasse grauius. Ita Sotus, Valent. Palao. Tom. 2. Tr. 7. D. 2. p. 2. §. 1. num. 1. Ratio est. Tum quia ex nullo iure hæc obligatio ostenditur. Tum quia Episcopi nolunt ordinandos obligare sub graui culpa, sed solum ex quadam honestate & decentia, probè gnari, sufficienter ordinatos suo muneri satisfacere, si Ecclesiæ in eo gradu deserviant.

Ad primum in contrarium dicimus, esto possint Episcopi bistèrue saltem preces ac Sacra dicenda imponere sub graui onere, hoc tamen ipsos defacto facere ostendi nõ potest, & falsum est, si eos communiter putari facere, vt patet ex *Authorib. cit.* Ad secundum, negari probabiliter potest anteced. cum Vasq. c. 4. de beneficijs §. 1. art. 2. dub. 1. Molfesio, Homobono, & alijs, quos citat & sequitur Dian. P. 4. Tr. 4. Resol. 226. etsi contrariũ tutius putet. Ratio esse potest, quia nullum extat de hoc præceptum; nec constat, hanc consuetudinem



dinē esse receptam per modum legis; grauiter obligantis; id quod maximè locum habet in precibus & Sacris ab Episcopo impositis. Ergo libertas Clericorum est in possessione, quā meritò se à tali onere subeundo defendunt.

XCIV. *Valentinus Parochus reperit in foribus templi sui infantem cum scheda subscripta suscepti baptismi, quem tamen sub conditione rebaptizat. Queritur. An rectè fecerit?*

Videtur malè fecisse. Ita Palao Tom. 4. Tr. 14. pun. 13. n. 6. Dicastillo de Sacram T. 2. D. 1. dub. 7. n. 176. Hurtad. de Sacram Bapt. D. 1. diff. 12. & alij, vt Diana eos sequens vocat hanc sententiam communem DD. p. 9 Tr. 6. Resol. 35. Ratio est, quia charta talis certum est indicium, parentes esse Christianos iterationem baptismi cauere volentes.

Resp. Valentinum bene licitèque facere, rebaptizando sub conditione expositum puellum, etiamsi adiuncta scheda receptionem baptismi testetur. Ita Antonius Quintanaduennas, Adamus Opatouius, Marchant. & alij apud Dianam P. 10. Tr. 16. R 87. Ratio desumitur ex Rituali Rom. Pauli V. §. de baptis. paru. vbi sic statuitur: *Infantes expositi & inuenti, si re diligenter inuestigatà de eorum baptismi non constet (id est clara probatio habeatur) sub conditione baptizentur.* Atqui non constat, hunc paruulum esse baptizatum; eadem quippe fides habenda schedæ, quæ scribenti,



de quo ferè nihil constat; Ergo Valentinus rectè illum sub conditione rebaptizat. Confirmatur. Ex consuetudine quorundam Parochorum (quam Layman L. 5. Tr. 2. c. 5. improbare non audet) pueri ab obstetricibus, parentibus, cognatis ob necessitatem baptizati sub conditione rebaptizantur, & vbique locorum hoc fieri oportere, non pauci DD. tradunt apud Dian. in diuersis locis. Ergò licitè rebaptizari possunt etiam expositi à parentibus cum schedâ; certè maiori ratione de his, quàm de illis dubitari potest. Atque ex his constat ad rationem in oppositum.

XCV. *Varus domum habet Monasterio cui-dam contiguam, qua Religiosis illis bene de ciuitate meritis foret percommoda ad plurium habitationem; at pro iusto etiam pretio acquiri à Varo nequit. Queritur. Vtrum Magistratus cogere Varum possit ad domum suam Religiosis iusto pretio vendendam?*

Videtur non posse, quia nemo inuitus cogitur rem suam vendere. *l. inuitum. Cod. de contrah. emptione.*

Resp. Posse Magistratum cogere Varum, idque tum ratione fauoris Religionis, tum maximè causâ boni communis, cui ex iustitiâ legali Magistratum æquè ac subditos, postposito proprio commodo, intendere oportet. Ita Rebellus *de obligat. Iust. L. 1. q. 1. s. 2. n. 18.* & teste Layman. *Tr. 4. de Iust. c. 17. §. 5. n. 34. communis DD.*

Ad



Ad rationem in oppositum dicimus, neminem cogi rem suam vendere absque legitimâ causâ, qualis hic non desideratur.

XCVI. Vbaldus die dominico Sacri audiendi gratiâ templum ingressus videt binos Sacerdotes in duobus altaribus vnâ celebrantes, alterum tamen primûm in introitu, alterum iam in eleuatione S. Hostiæ; & dū postea iste Sacrum finit, ille verò eleuat S. Hostiam, ipse Vbaldus iterum egreditur. Queritur. Vtrum sic veriq; Sacerdoti simul astando satisfecerit præcepto Ecclesiæ?

Videtur non satisfecisse. Ita Turrian, in select. p. 2. D. 16. d. 7. Coninck. de Sacram. q. 83. art. 6. n. 288. & alij. Ratio est, quia Ecclesia præcipit auditionem vnus sacrificij integri, quod non censentur constituere duæ partes à se omnino independentes.

Resp. Vbaldum satisfecisse. Ita Bonac. Tom. 1. D. 4. q. ult. p. 11. n. 13. Hurtado de sacris. Miss. D. 5. difficult. 4. & alij. Ratio est, Tū quia Vbaldus audit integram missam eas partes audiendo. Tum quia potest quis satisfacere præcepto Ecclesiæ audiendo duas partes Missæ successivè apud duos Sacerdotes, vt concedit Coninck loc. cit. Cur ergò non simul? Tum quia ex mente plurimorum Theolog. satisfacit aliquis obligationi audiendi tres missas, si has simul apud tres vnâ celebrantes audiat. Ergò etiam satisfacit præcepto

Ks

audi-

ppco 53  
Tamnata  
ab Innocent  
XI



audiendi missam, si duas huius partes simul apud duos vnà celebrantes audiat.

Atque hinc patet ad rationem in oppositum; negatur enim has duas partes ita à se independentes esse, vt non censeantur moraliter in vnum coire respectu eius, qui vtrique simul interest, id quod suadent allatæ instantiæ.

XCVII. *Venerens longo vitæ tempore molli-  
tiem exercuit, ratus id nullum esse peccatum, cu-  
ius notitiam in aliqua deinde concione acquisiuit,  
Queritur. Vtrum Venerens exercendo turpitudi-  
nem illam peccarit.*

Videtur peccâsse mortaliter; tum quia po-  
tuit, & debuit notitiam huius habuisse; tum  
quia malitia huius peccati prohibetur iure na-  
turæ; ergo eidem naturæ diutius incognita ef-  
se nequit, vt sentiunt Alexand. Gratian. Du-  
rand. Alph. à Castro & alij apud Vasq; 1. 2.  
D. 122. c. 1. n. 1.

Resp. Venereum mollietate illâ per longum  
vitæ tempus exercitâ nullum commisisse pec-  
catum. Ita cum multis antiquis & plerisque  
RR. P. Arriag. Tom. 3. D. 13. s. 2. n. 6. Ratio  
est. Tum quia *nihil volitum, nisi præcognitum.*  
Ergò cum Venereo, vt supponimus, nullo mo-  
do, etiam sub dubio, fuerit præcognita mali-  
tia illius actûs, non poterit ipsi vlllo pacto ne-  
que directè neque indirectè esse voluntaria,  
adeoque nec peccaminosa. Tum quia si tri-  
tum illud (*potuit & debuit scire*) vim habeat,  
non



non potest statui, quando inconsideratio à peccato excuset, quando non, sed relinquatur res planè inexplicabilis, & mille obnoxia scrupulis.

Vnde ad *primum* in contrarium dicimus, Venereum etiam nec potuisse, nec debuisse scire, cum neque scrupulus, neque dubitatio occurreret, quæ est prima radix investigandi. Ad *secundum* negamus consequentiam cum Azor. L. 1. c. 16. q. 5. Bonac. D. 2. de peccat q. 8. p. 3. n. 3. Palao Tr. 2. D. 1. p. 15. n. 6. & alijs, cum non omnia, quæ Iuris naturæ sunt, ex certis circumstantijs ita lumini naturæ clara sint, ut toto etiam vitæ tempore ignorari nequeant, ut patet in præcepto vnus vxoris, & perpetuitate matrimonij, & alijs, quæ affert Vasquez D. cit. c. 2. Pro vniuersali igitur, & longè vtilissimâ regulâ de advertentia ad peccatum sic statuimus cum Arriag. loc. cit. Si intellectus, dū peccat, malitiam ac prohibitionem rei nec cognoscit, nec de ea dubitat, nec reflexè advertit, se teneri ad inquirendum aut dubitandum, num res illa mala ac prohibita sit, non potest vllum incurri peccatum.

XCVIII. *Vrsicius honesti negotij causâ domum suspectam intrauit, ibiq; de eo suspecta fœminæ fuit locutus. Huius ingressus delatus ad superiorem, & sub iuramento interrogatus, an domum illam fuisset ingressus, ibique fœminæ locutus, iurat, se hoc non fecisse, subintelligendo tacitè, inhonestæ rei causa.*



*causâ. Queritur. Vtrum Vrsicius licitè æquiuo-  
catione fuerit vsus?*

Videtur malè æquiuocasse. Ita Sotus, Ca-  
ietan. Arragon. & alij apud Less. *de Iust. c. 42.  
n. 47.* quia oratio illa, quæ exterius profer-  
tur, est falsa.

Resp. Vrsicium benè ac licitè æquiuocâs-  
se. Ita Tolet. *L. 4. c. 21.* & plures alij, quos ci-  
tant & sequuntur Less. *loc. cit.* & Lugo *de Iust.*  
*D. 40. num. 4.* Nam quoties superior aut Iu-  
dex iuramentum expetunt ex præsumptione  
delicti & ignorantia veritatis, non petitori, si  
hoc ipsis constaret, licitè adhibetur æquiuo-  
catio, aut absolutè negatur. Atqui hoc fit in  
proposito. Ergo &c. Confirmatur hæc re-  
sponso ex vniuersali illa regula, quâ ad pro-  
positum Diana *P. 3. Tr. 5. Resol. 66. ex Portel.*  
& alijs statuit in hunc modum: *Quotiescunq;  
factum externum contra legem excusatur à pecca-  
to propter aliquam circumstantiam, potest roga-  
tus iuridicè de eo sub iuramento illud negare, in-  
telligendo de crimine criminoso, seu de ope-  
re, quod fuerit peccatum.*

Ad rationem in contrarium dicimus, in  
tali casu non teneri Vrsicium totam mentem  
suam circa rem, de qua interrogatur, aperire.  
Ergo non tenetur omnia verba exprimere,  
quibus ea aperiatur. Ergo oratio exterior non  
est falsa, quia nec est difformis obiecto suo,  
nec contra mentem loquentis. Tamen  
tem



tē is, qui in vero aliquo sensu iurat, sed alio, quàm alter intelligit, non fit periurus in foro conscientię, peccat tamen grauiter, si absque sufficiente causa aut necessitate sic iuret; unde doctrina hæc cum grano salis adhibenda, ne, quod saluti datum, in perniciem vertatur.

XCIX. *Zelpha ancilla Christiana occultè deprehendit Balam conseruam suam cum alio domestico in turpi flagitio, quod statim Hero denunciat. Queritur. Vtrum licitè hoc faciat?*

Videtur non facere licitè, quia agit contra legem & ordinem Charitatis præscriptum à Christo *Matth. 18.* Confirmatur. Non potest sic denunciare Dominam suam in adulterio deprehensam, ergo nec conseruam in simili scelere conspectam.

Resp. Rectè fecisse Zelpham. Ita Caietan. 22. *Q. 73. art. 2.* Molin. *Tr. 4. D. 29.* Nauarr. Layman alij. Ratio est. Tum quia Paterfamilias (idem est de Præceptore respectu studiosorum) habet ius puniendi suorū crimina ad conseruandam disciplinam domesticam, idque ex denunciatione vnus fidelis. Tum quia talis delatio domesticorum fit sine graui infamiâ.

Vnde ad *primum* in contrarium dicimus, præuiam monitionem in hoc casu necessariam non esse, tum ob consuetudinem, tum ob exiguam infamiam indesequi solitâ. Ad *secundum* negamus consequentiam ob contrariam rationem,

rationem,



rationem, quia nec ex consuetudine Dominae solent deferri ab ancillis, nec infamia aliæque incommoda, quæ inde oriuntur, sunt leuia, sed valde graua. Quare ancilla sciens Dominam suam occultè adulterari, debet prius secretè eam monere: deinde, si nihil proficiat, alios sceleris obseruatores adhibere cū comminatione delationis Hero faciendæ, nisi desistere velit, vt rectè Layman. L. 3. Tr. 3. P. 2. c. 4. n. 13.

C. Zoa tanquam Saga in carcerem coniecta, & tormentis subiecta, vt ea euitet, licet sit innocentissima, fatetur tamen se ream, ideòque morti adiudicatur, postea rament sollicita, ne falsum sibi crimen imponendo grauiter peccarit, hæret num reuocet. Queritur. Quid ei faciendum?

Videtur teneri reuocare. Ita Navarr. cap. 18. n. 29. Caramuel. Fnd. 61. §. 1. n. 1278. & quidam alij. Ratio est, Tum quia Zoa moraliter loquendo se interficit. Tum quia perniciosè mentitur.

Resp. Zoam nec peccare, nec teneri reuocare. Ita Angelus, Sylvest. Less. de Iust. c. 11. dub. 7. Tanner. Tom. 3. D. 4. Q. 4. num. 99. Busenbaum L. 4. cap. 3. dub. 7. & alij. Ratio est. Tum quia Zoa non tenetur cum tanto cruciatu vitam tueri, ne alius eam eripiat. Sicut non tenetur permittere tibiam sibi abscindi cum tanto dolore; non etenim tanto est digna dolore salus. Tum quia non est men-  
tita



tita perniciosè, cùm, vt recens dictum, non teneatur tantis tormentis conservare vitam.

Atque ex his patet ad rationes in contrarium. Sed urgent Adversarij in hunc modum: Zoa imponens sibi falsum crimen non tantum partem suam non tuetur, sed perdit, Magistratui dando causam necandi. Ergo peccat mortaliter. Disting. Antec. Zoa non tantum non tuetur partem suam, sed perdit &c. coactè vi tormentorum, concedimus: voluntariè extra tormenta, & gravem horum metum, negamus Antec. & consequentiam. Videri possunt Dicastillo *de Iustitia* L. 2. Tr. 2. D. 12. num. 514. Card. Lugo *de Iust.* Tom. 1. D. 14. sect. 10. num. 174. & Diana P. 11. Tr. 1. Res. 14. vbi in hanc nostram responsionem valde inclinant, & posse eam tanquam probabilem practicè teneri, affirmant.



SYNOPSIS